


SUNREZ


ANETORIGAE

14


XI

32











14-XI-32

III.  
R H E T O R I C A E

EXERCITATIONES MA  
gistri Alfonsi Turritani, amplissimi di  
vi Isidori collegij patroni, & eloque  
tiae professoris in Academia

Complutensi.

*delo libro de suarez*  
Ad illustrem Virum, Doctorem Ferdinandum

Suarez & Toletum.



COMPLVTI.

Apud Ioanem à Villanoua. Anno 1569.

Cum Privilegio ad sexennium.

*en So m*

*Mano precto.*

*Simonis Cugna, Ribera, Lusitani, in commendationem huius egregij operis, Epigramma.*

CAAdmeos phibēt struxisse Amphiona muros,  
surdaq; saxa suis composuisse locis,  
Dum tenues docto percurrit pollice chordas,  
& sociat blandę dulcia uerba lyra.  
Quid mirū? ecce fidē iam fabula prisca meretur:  
qui factum hoc dubitat, perlegat istud opus.  
Hic etenim non solum urbes circumdare muris,  
oppida munitis condere tuta locis,  
Sed rabidos etiam furibundi p̄ctoris astus,  
& frenare truces discitur arte uiros.  
I nunc, & magno cum Torre Amphiona cōfer:  
quod facit hic tantum, perdocet ille etiam.





# El rey.



Or quanto por parte de vos el maestro Alóso de Torres cathedratico de rhetorica en la vniuersidad de Alcalá nos fue hecha relacion que vos auia des cõpuesto vn libro intitulado Exercitationes rhetoricæ obra muy vtil y prouechosa para exercitarse en el arte de Rhetorica las personas curiosas y en su composiciõ auia des trabajado para solo aprouechar a los estudiantes y personas curiosas de saber como nos constaria por el dicho libro, de que ante nos hizo presentacion: por ende q̄ nos suplicauades lo mandassemos ver y examinar y visto ser conueniente y prouechoso, os diessimos licencia para lo poder imprimir y priuilegio en forma para que ninguno lo pudiesse imprimir sin vuestro consentimiento por termino de doze años o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro consejo y como por su mandado se hizieron las diligencias q̄ la prematika por nos hecha sobre la impressiõ de los libros, dispone, por os hazer bien y merced fue acordado q̄ deuiamos mandar dar esta nuestra cedula para

## Priuilegio.

vos en la dicha razõ, y nos touimos lo por biẽ  
y por la presente os damos licencia y facultad  
para que por esta vez por tiempo de seys a-  
ños primeros siguientes que corran y se cuẽ-  
ten desde el dia de la fecha desta nuestra cedu-  
la en adelante, vos o la persona que vuestro  
poder ouiere, podays imprimir y vender el  
dicho libro que de suso se haze menciõ, y mã  
damos q̃ qualquier impressor destos nuestros  
reynos y señorios q̃ vos quisieredes y señalare-  
des imprimã el dicho libro: sin que otra perso-  
na alguna lo pueda imprimir ni vender sin  
vuestra licencia, sopena que el que lo impri-  
miere o vendiere aya perdido y pierda todos  
y qualesquier libros y moldes que imprimie-  
ren y vendieren, conque primero que se vẽ  
dalo ayays de traer y presentar ante los del  
nuestro consejo, juntamente con el original,  
que en el se vio, que va rubricado y firmado  
al cabo de Pedro del Marmol nuestro escri-  
uane de camara, delos que residen en el nue-  
stro consejo para que se vea si la dicha impres-  
sion esta conforme al original y se os tasse el  
precio que por cada volumen ouieredes de a-  
uer, y mandamos a los del nuestro consejo pre-  
sidente y oydores delas nuestras audiencias al-  
caldes y alguaziles dela nuestra casa y corte  
y chancillerias, y a todos los corregidores assi  
sten

## Priuilegio.

Stentes gouernadores, alcaldes mayores y ordinarios, y otras justicias qualesquier de todas las ciudades, villas y lugares d̄ los nuestros reynos y señorios, assi a los que agora son como a los que seran de aqui adelante, que vos guarden y cūplan esta nuestra cedula y merced que assi vos hazemos, y contra el tenor y forma della vos no vayan ni passen, ni consientan yr ni passar por alguna manera, so pena dela nuestra merced, y de diez mil maravedis para la nuestra camara. Fecha en Camarena a 2. dias del mes de Junio de. 1569. año s.

Yo el rey.

Por mandado de su Magestad

Antonio de Erafo.



# Index Locupletissimi

mus rerum omnium, quæ in hoc  
opere scitu dignæ repe-  
riuntur.

## A

- Aesopus omnium optimè fabulas cōscripsit. 35 pa. 1  
Aesopi laus. 40 pa. 1  
Agrippæ fabula, quæ plebem partibus conci-  
liauit. 28 pa. 2  
Ambraciotæ mors. 137 pa. 1  
Animalia rationis expertia, quæ homines a-  
damarunt. 77 pa. 1  
Augusti in victu temperantia. 145 pa. 2  
Augustus viso gladio, quo se Antonius inter-  
fecerat, contristatus est. 150 pa. 2

## B

- Bitonis & Cleobis factum. 139 pa. 1

## C

- Cæsar viso Pompeij capite, illachrymauit. 150 pa. 2  
Chriæ finitio, & significatio. 46 pa. 2  
Chriæ genera. ibidem.  
Chriæ tractatio quot capitibus constet. 47 pa. 2  
Chriæ verbalis exemplum. ibidem

## Index.

Chriæ actiuæ exemplum	50. pa. 2
Chriæ verbalis & actiuæ exemplum.	53 pa. 2
Chronographia, id est, temporum descriptio.	125 pa. 2
Cilicum corrupti & peruersi mores.	53 pa. 1
Cydæ perfidia.	91 pa. 1
Cypria cur dicta sit fabula.	33 pa. 2
Clementia & lenitas clarorum hominum, etiam in proprios hostes.	150 pa. 2
Comparatio quid sit, & quomodo à contentio- ne differat.	115 pa. 2
Comparatio inter quas res fiat.	116 pa. 1
Cōparatione vtētes duo obseruabūt.	116 pa. 2
Comparisonis tractatio quot capitibus conti- neatur.	117 pa. 1
Comparisonis exēplum, in quo conferuntur Solon & lycurgus.	117 pa. 2
Complutensis Academiæ encomiū.	103. pa. 1.
Confirmationis finitio.	73 pa. 2
Confirmationis loci	ibidem.
Confirmationis exempla.	74 & 77 pa. 1
Consuetudo praua quantum noccat.	56 pa. 2

### D

Darij Persarum regis clementia in Histri- um.	10 pa. 2
Delphini & pueri fabula.	71 pa. 1 & 77 pa. 2
Delphinos pulchritudine hominū capi, qui authores referant.	78 & 80. pa. 1 & 2

## Index.

Delphinorum natura.	80. pa. 1
Delphinum beneficiorum memores	82 pa. 1
Demosthenis fabula, qua persuasit, ne decem oratores Philippo tradereatur.	28 pa. 2
Descriptio quo modo à narratione distinguitur.	124 pa. 1
Descriptio quid sit, & quot nominibus appellatur.	124 pa. 2
Describi quæ res soleant.	125 pa. 1
Descriptionum aliarum simplicium, aliarum compositarum.	126 pa. 2
Descripturus aliquid quid obseruare debeat.	126 pa. 2
Descriptio hominis scelerati ex corporis lineamentis.	127 pa. 2
Descriptio discordiarum.	128 pa. 1
Diogenis cynici laus.	54 pa. 1
Dionysij iunioris vituperatio.	111 pa. 2
Dionysij sacrilegia.	113 pa. 2
Dionysius Heraclotes obesitatem arte emendabat.	146 pa. 1
Domini non hic Milesia, in quos iactari soleat.	34 pa. 1
Draconis leges.	119 pa. 1
E	
Eloquentiarum laus.	75 pa. 1. & 2
Epaminondas Thebanis crapularum indulgentibus vigilabat.	45 pa. 2



## Index.

Ephesiorum dictum, cum Hermodorum ci- uitate expellerent	34 pa. 2
Ephori.	123 pa. 1
Equi sybaritarum ad tibiæ cantum saltare af- sueti erant.	32 pa. 1
Ethopœia quid sit.	57 pa. 1
Ethopœia triplex.	57 pa. 2
Ethopœiarum alia genera enumerat Priscia- nus.	58 pa. 1
Ethopœiæ tractatio.	58 pa. 2
Ethopœiarum exempla.	59 & 61 pa. 1
Exercitationes minores oratoriæ facultatis quatuordecim.	27 pa. 1
Exercitationes rhetoribus & grammaticis cõ- munes, quæ sint.	ibidẽ pa. 2

### F

Fabularum primus scriptor.	27 pa. 2
Fabulis quo tempore discipulos suos exerce- rent prisci grāmatici.	ibidem
Fabulæ cur delectent, & fidẽ faciãt.	28 pa. 1
Fabulas cur Aristoteles inter probationes rhe- toricas constituerit.	ibidem.
Fabulæ quem in vsum ab oratoribus tractari soleant.	28 pa. 2
Fabularũ tractatione quid philosophi efficiãt.	29 pa. 1
Fabulæ finitio.	30 pa. 1
Fabula quotuplex si	30 pa. 2

## Index.

Fabula varias fortitur appellationes.	31 pa 2
Fabula AEsop ca cur dicatur.	35 pa. 1
Fabula quo pacto dilatari solet.	31 pa 2
Fabularū dilatarū exemplū. 35 & 39 pa 2	
Fabula de matre ad filij flagitia coniuente.	
	39 p. 1. 2. & 41 pa 1
Francisci Ximenij laus.	104 pa. 1. & 2
Fasciculi Virgarum fabula.	30 pa. 2
Futurum tempus quam segetem ad laudē suppeditet.	96 pa 2
<b>G</b>	
Gygisannulus.	29 pa 1
<b>H</b>	
Hegesiae Cyrenaei facundia.	75 pa. 2
Hercules multis laboribus ad gloriae & lau- dis fastigium ascendit.	49 pa 1
Hesiodus dicebat, facilem esse & breuem vi- tiorum viam, virtutis verò longam & diffi- cilem.	49 pa. 2
Hesiodus Deorum, & rerū omnium originē à Chao repetit.	94 pa. 2
Historiae laus.	63 pa. 1
Hypothesis varia nomina fortitur.	130 pa. 2
Hypothesis oratorum, thesis philosophorum est.	131 pa. 1
Hypotypōsis, id est, rerū descriptio.	125 pa. 1
Homeri laus	36 pa 1
Homeri poësis quàm sit utilis	44 pa. 1

# Index.

## I

- Idolopocia quid. 57 pa. 2  
Ilias & Odissea, quid suis figmentis & inuolueris significant. 30. pa. 1

## L

- Lacedæmoniorum frugalitas. 145 pa. 2  
Laus quid sit, & quibus præcipue tribuenda. 93 pa. 2. & 94. pa. 1  
Laudantur etiam aliæ res, præter homines. 96 pa. 2 & 97. pa. 1  
Laus communiter aut singulatim tribui solet. 94 pa. 1  
Laus & locus communis quomodo differat. ibidem.  
Laus hominū in tria tēpora distribuit. 95 pa. 1  
Laudis tractatio quot locis constet. 97 pa. 1  
Legislatio quomodo differat à thesi 141 pa. 1  
Lex quid sit. 141 pa. 2  
Legislationis tractatio. 141 pa. 2  
Legis sumptuariæ confirmatio. 142 pa. 1  
Lex Oppia. 143 pa. 2  
Legis duodecim tabularū refutatio. 146 pa. 2  
Literarū et bonarū artiū la<sup>9</sup>. 133 p. 1. et 134. p. 2  
Libicas, cur fabulas appellauerit p̄scian<sup>9</sup> 34 p. 2  
Libyca fera, in quos dicatur. 35 pa. 1  
Lycurgi æquitas & moderatio 121 pa. 2  
Locus communis quid sit. 83 pa. 1  
Locus communis cur sic dicatur. 84. pa. 1



## Index.

Locis cōmūibus quado vtendī.	ibidē.
Locī cōmūnes a quibus fontibus deriuari so- leant.	84 pa. 2
Locī cōmūnis tractatio tredecim capitibus constat.	65 pa. 1
Locī cōmūnis exempla.	85. & 89. pa. 2
M	
Marci Antonij faciūdia.	75 pa. 2
Masiniſſæ frugalitas.	145 pa. 2
Matrum pœna. quæ peccantes filios nō pu- nient.	41 pa. 2
Medæ & Iasonis fabula.	65 pa. 1
Milesia quæ fabula appellari cœperit.	34 pa. 1
Milesium sermonē cur Apuleius lasciuas nar- rationes appellauerit.	34 pa. 1
Mithridatis mos in cibo capiēdo	145 pa. 2
Mixtæ fabulæ exemplum.	31 pa. 1
Moralis fabulæ exemplum.	31 pa. 1
Mors malum non est.	135 pa. 2
Morte tanquā optimo præmio religiosi homi- nes à dijs afficiebantur.	138 pa. 2
Narrationis finitio.	N 62 pa. 2
Narrationis tria genera.	63 pa. 1
Narrationis triplex finis.	ibidem
Narrationis virtutes tres.	63 pa. 2
Narrationis virtutibus addit Cic. iucundita- tem.	ibidem
Narratio breuis quo pacto efficiatur.	64 p. 1

## Index

- Narratio dilucida quomodo fiet . . . . . ibidē  
Narratio quibus rebus fiet verisimilis. . . . . ibidē  
Narratio quo pacto dilatari possit. . . . . 64 pa. 2  
Narrationis poetice exemplum. . . . . 65 pa. 1

### O

- Orphei fabula. . . . . 68 pa. 1. & 74. pa. 2  
Orphei & Eurydices fabula quid significet. . . . .  
74 pa. 2  
Ostracismus. . . . . 34 pa. 2  
Otium literatorum hominum. . . . . 133 pa. 2

### P

- Pædagogi celebres summorum ducum &  
regum. . . . . 55 pa. 1. & 2.  
Pædagogi, qui ob prauos mores sibi commis-  
sæ iuuentutis culpantur. . . . . 56 pa. 1  
Periuri in tres personas iniuriosi sunt. 90 p. 1  
Pythagoras breuitatē humanæ vitæ quo pa-  
cto significauerit. . . . . 47 pa. 1 & 50. pa. 2  
Pythagoræ litera quid moneat. . . . . 50 pa. 1  
Pythagoræ laus. . . . . 50 pa. 2  
Platonis laus. . . . . 47 pa. 2. & 98. pa. 1  
Pori Indorum regis temperantia. . . . . 145 pa. 1  
Præceptores in erudienda iuuentute diligētis-  
simi esse debent. . . . . 54 pa. 2.  
Præsens tempus quos fontes laudis recludat.  
95 pa. 2  
Præteriti tēporis laus quid cōtineat. . . . . 95 pa. 1  
Prosopographia, id est, personarū descriptio.  
125 pa. 1

## Index.

Profopopœcia quid.	57 pa. 2
Protogenis abſtinentia dum Ialyſum pingere- ret.	144 pa. 1

### R

Rationalis fabulæ exemplū.	30 pa. 2
Res humiles, viri eloquentes, oſtēdendi in genij gratia, aliquādo laudarūt.	96. pa. 2
Refutatio quid ſit.	65 pa. 2
Refutandum quid.	ibidem.
Refutationis loci.	66 pa. 1
Refutationis exempla.	67 & 70 pa. 2
Reges & principes in gubernandis ciuitati- bus diligentiffimi eſſe debent.	44 pa. 1
Reges & magiſtratus vigilantes quot afferāt vilitates.	46 pa. 1
Reſponſa vel auguria.	95 pa. 1

### S

Sedentariæ artes.	132 pa. 1.
Sententiæ tractatio.	42 pa. 2
Sententiæ finitio & genera.	43. pa. 1
Sententia quo pacto dilatari ſoleat.	43 pa. 2
Sententia & chria quomodo differant.	47 pa. 1
Silenus aſſerebat, non naſci longē optimū eſſe.	137 pa. 1
Sirenum fabula breuiter explicatur.	35 pa. 2



## Index.

- sirenū fabula quid significet. 36 p. 2. & 39 p. 1  
Sirenum genus & figura. 37 pa. 1  
Sybaritarum luxus & mollities. 31 pa. 2  
Solonis & Lycurgi laus. 117.  
Solon astu mirabili Megareses cepit.  
120 pa. 2.

## T

- Temperantia & frugalitas quorundam homi-  
num. 145 pa. 1  
Thesis quid. 129 pa. 2  
Thesis duplex 130 pa. 1  
Thesis à loco communi & hypothesi quomo-  
do differat. 130. pa. 2  
Thesis quomodo tractari debeat. 132 pa. 1  
Theses exempla. 132 pa. 1. & 135 pa. 2.  
Thraces natos homines lachrymis, mortuos  
conuiujs & tripudijs prosequiebantur.  
139 pa. 2. & 52 pa. 1  
Topographia, id est, locorum descriptio.  
126 pa. 1  
Topothesia. ibidem  
Tria cappa pelsima, in quos dictum fuerit.  
33 pa. 2  
Throphonius & Agamedes pro templo A-  
pollini ædificato, quod præmium tulerint.  
138 pa. 2

## V

## Index.

Vespasiani clementia & lenitas.	150 pa. 2
Virtutis ramos è laboribus nasci, cur Plato dixerit.	48 pa. 1
Virtutes aliæ sunt actionis, aliæ cognitionis.	96 pa. 1.
Vita hominum bullis similis.	51 pa. 2
Vitam caducis arborum folijs comparauit Homerus.	53 pa. 1.
Vituperationis finitio.	111 pa. 1
Vituperatio quomodo differat à loco communi.	ibidem
Vituperari quæ res possint.	ibidem
Vituperationis tractatio quot capitibus contineatur.	111 pa. 2.
Vituperationis exemplum.	ibidem
Vlysses firenum insidias quo pacto euaserit.	37 pa. 1
Vrbes quomodo laudandæ.	97 pa. 1

87 287  
Illustri & grauissimo

viro doctore Ferdinando Sua-  
rez à Tolero, ex supremo potentis-  
simi Hispaniarum regis Philippi Se-  
nato, Alfonso Turritanus elo-  
quentiæ ac politioris literatu-  
ræ professor, salutē & per-  
petuā felicitatem pre-  
catur.



ETUS est  
consuetudo, iā  
usq; ab heroi-  
cis ducta tem-  
poribus, vir  
et nobilitate familia, et pro-  
prijs virtutibus clarissime, ut  
qui opus aliquod in manus ho-  
minum dare, et in mediū qua



si totius orbis theatrum trans-  
 mittere moluntur, in quo com-  
 ponendo plurimum laboris &  
 operæ posuerint, omnesq; ætatis  
 ingenij, & industria nervos con-  
 tenderint, Mæcenatē sibi qua-  
 rant, qui sit rerum gestarū glo-  
 ria, potētissimorum principum  
 gratia, literarum splendore, sa-  
 pientia laudibus admirabilis,  
 cuius ductu & patrocínio pos-  
 sint aduersus maleuolorum &  
 obtrectantium morsus, suæ exi-  
 stimationis & autoritatis opi-  
 nionem tueri, præcipites ac furē-  
 tes inimicorum impetus & au-  
 daciā contundere. Nā cum

nihil sit tam sanctum, nihil tam  
 sincerum, aut omnibus undique  
 partibus absolutum, quod non  
 mordacum hominum detibus  
 impetatur, & in quod non so-  
 leant maledici sacrilego & in-  
 cesto ore debacchari, nisi se fir-  
 missimis excellentium virorum  
 praesidijs munivissent, omnis eo-  
 rum dignitas turpissimis ver-  
 borum contumelijs, probris, ma-  
 ledictis passim deformaretur.  
 Cū vero ego ad has exercitatio-  
 nes rhetoricas componendas a-  
 nimum & cogitationem adiec-  
 cissim, quibus eorum adoles-  
 centium acuerentur ingenia,

enferasse  
 acerbissime  
 uis. de  
 de 60 ca

qui toti ad eloquentiæ lucem cō-  
 parandam aspirant, ne si lan-  
 guori ac desidia sese dederent,  
 sicut, squalore, sordibus, veluti  
 gladius in vagina reconditus,  
 obducerentur, tu præter cæteros  
 Hispaniæ proceres primus oc-  
 curristi, cuius nomini omnes no-  
 stri labores, vigilia, lucubrati-  
 nes consecrarentur. Nam cum  
 superioribus annis, carissimorū  
 filiorum, Stephani & Gabrie-  
 lis pueritiam, nostra disciplina  
 & institutione formandam,  
 expoliendamq; tradidisses, dici  
 non potest, quanta erga nos de-  
 deris, quàm rara, quàmq; inusi-

oratio

formare

puerum.

En senarum

muc hachis,

ab expolio

pa. mucio

poler



tata humanitatis & clementia  
 documēta: quanto nos affectu,  
 studio, beneuolentia, caritate  
 complexus fueris: quantis po-  
 stremò beneficijs, quanta pra-  
 miorum & mercedum ampli-  
 tudine, nostram diligentiam re-  
 muneraueris: quibus nisi ali-  
 qua grati animi significatione  
 responderemus, aut rustici, aut  
 parum officiosi iudicaremur.

Quòd si hęc mentem nostram mentem.  
 ad præsens officium prestādum  
 non incitassent, illa tamen satis  
 magna videretur esse causa,  
 quòd in te vno tot ac tam diui  
 na patrie, nationis, gentilitatis natio  
apertum

ornamenta splendescant: quòd  
 omnibus natura & fortuna do-  
 ribus abūdes: quòd literarum  
 splendore reliquis omnibus, qui  
 unà tecum in eodem literato  
 puluere, & sapientie curriculo  
 desudarunt, noctem quandam  
 & tenebras offuderis: quòd tā  
 sis morum suavitate, vite reli-  
 gione, praestantissimarum vir-  
 tutum excellentia & pulchri-  
 tudine decoratus, ut in duris  
 etiam atq; agrestibus ingenijs  
 mirabiles tui ipsius amores ex-  
 citaueris: & eos qui tuum vul-  
tum nunquam viderunt, ad te  
diligendum, colendum, suspiciē-  
dum,

dū, inuitos etiam Et calcitrantes pertraxeris! Principiò patria tibi contigit in Hispania Carpetana sita, Talabricā nostrates, veteres Elboram appellarunt, tanta rerum quæ commendaripossint diuersitate florentissima, tam varia ac multiplici laudationis materia celebris, vt siue antiquitatem, salubritatem aëris, soli feracitatē, agrorū fertilitatē spectes, siue religionis studium, ciuium nobilissimorum frequentia, numerosam doctissimorū hominū multitudinem, qui primariā ecclesis præfecturā tenuerūt, tacito



ac praesenti animo contempleris,  
 tam uberem immortalis gloriae  
 segetem, tam copiosum predica-  
 tionis argumentum inuenias, ut  
 in eo persequendo omnes eloque-  
 tia fontes exhaurire posse vi-  
 dearis. Iam verò antiquum es-  
 se municipium, & veteribus il-  
 lis temporibus fundatum, nobi-  
 lis inscriptio diui Petri foribus  
 affixa, & priscarum literarum  
 notis insculpta, aperte satis de-  
 clarat. Cn. Pompeius Elbo-  
 rā me fecit. quae singulari na-  
 tura beneficio, nullis fuit turbi-  
 nibus, aut subitis terrae motibus  
 dissecta, nullis exturbata procel-  
 lis

hora corpo-  
 ris

lis aut tēpestatibus, nullis aqua-  
rum inundationibus submersa:  
queq; nulla iniuria vetustatis,  
aut ullis sordibus obsolescere po-  
tuerit: ne quis post decursa ali-  
quot seculorum spatia, eò teme-  
ritatis & insaniā procederet, ut  
illi auderet novitatē exprobra-  
re, dum audit, à Cn. Pompeio  
magni Pompeij filio exadifica-  
tum fuisse, cum in Hispania si-  
gnis cum Casare collatis, inter  
bellicos tumultus, armorū stre-  
pitus, militum clamores, tuba-  
rum sonos versaretur, & de for-  
tunis omnibus, honore, gloria,  
dignitate, existimatione dimica-

a fortuna  
honor -

iste est locus ret. Quid quod terra illa tam est  
 compta uel  
 quolibet  
 potest dici  
 prima et fertilis, ut arborum atque  
 fructuum varietate, frumenti, vi-  
 ni, olei, mellis, et aliarum rerum  
 que exportari solet abundantia,  
 possit sumptuosas potentissimorum  
 regum mensas complere: gustatum qui  
 dulcedine prater ceteros sensus  
 commouetur, et nauseantem stoma-  
 chum excitare: et in magna anno-  
 na difficultate, ac rei frumenta-  
 ria inopia, summam etiam vilita-  
 tem asserre? Neque aliunde tan-  
 ta illi felicitas provenire potuit,  
 quam quod limpidissimis Ta-  
 gi muros alluentis irrigationibus  
 fecundior efficiatur: et eius ter-



mini ad centū propemodū mil-  
lia passū extendantur, in qui-  
bus sexcentos habeat populos  
sue ditioni subiectos, unde pos-  
sit, si quando ita usus necessitas  
que tulerit, suavissimos fructus  
varia cibariorū genera, & re-  
liquos cōmeatus ad vitæ sustēta-  
tionē necessarios imperare. Ta-  
ceo quòd innumeras habet illis-  
triū ac nobilissimorū hominū  
familias, quorū virtus ita fuit  
domi militiaq; cognita, ac mul-  
tis periculis et experimētis cō-  
probata, ut singularis cuiusdā  
industria et fortitudinis vestigia  
terris omnibus reliquerint, non  
pressa

pressaleuiter ad exigui pradi-  
 cationem temporis, sed fixa ad  
 memoriam totius orbis sempi-  
 ternam. Nam & rogati suam  
 temp. in tanto otio, pace, concor-  
 dia, consensione, ciuium carita-  
 te, praclaris legibus & sanctio-  
 nibus gubernant, ut neque ipse  
 diuinus Plato auderet meliore  
 aut praestantiorē exoptare,  
 aut animo et cogitatione taci-  
 ta complecti. Neque mirum,  
 cum vniuersi iam inde à pue-  
 ris ita se ipsos cōpararint, ut tur-  
 pissimum existiment à perenni  
 contestataq; virtute maiorum  
 degenerare: & dum priuatis cō-

modis & emolumentis infer-  
uiant, publicam salutem, & cō-  
munitatis opportunitates negli-  
gere. Armati verò ita ad om-  
nes casus & impetus praeliorū,  
ad omnes tormentorum ictus  
fortiter perferendos obdurue-  
runt, ut non modo stimulos do-  
loris, sed fulmina etiam ac toni-  
trua fortuna pro comparanda  
gloria & nominis aeternitate cō-  
temnant. Tanta est in illis ad  
veram laudem et honestatem  
ex ardescantium animorum cō-  
citatio. Cuius rei aperta satis in-  
dicia & argumenta in medio  
gentium omnium atq; nationū  
consti



constituerunt, cum in prima illa Indorum expugnatione, plures quam trecenti Elborenses reperti fuerint, quibus tantus innatuserat ardor in pugnando, ut nulli ex fortissimis illis imperatoribus, quorum memoria fuit Græcorum atq; Romanorum fastis nobilitata, eorum furoribus obsistere, aut conatibus repugnare posse videretur. Deinde cum annis procedentibus, multi siue effrenata regnandi cupiditate cecati, siue ut ex rerum omnium confusione cõpendium aliquod facerent, siue ut pravis & violētis affectibus

indulgerent, contra regiam ma-  
iestatem perfractis obedientis  
repagulis conspirassent, & hu-  
ius sceleris et coniurationis co-  
tagio latius indies serperet, quã  
quisquam fuisse unquam opi-  
natus, tunc Elborenses qua e-  
rant animorum magnitudine  
præditi, cum periculum in ve-  
nis atque visceribus christiana  
reip. inclusum videret, & in dis-  
bia ac formidolosa tempora in-  
cidisse, sibi pro tuendo regali scep-  
tro, pro cõservandis iustitia legi-  
bus, p defendenda Indorũ liberta-  
te pugnandũ esse putaverunt, ut  
tota illa perditoris hominũ sen-  
tina

tina, quæ in eum locum, tanquã  
 ad unicum suæ mendicitatis pa-  
 stum confluxerat, sua virtute  
 & magnanimitate purgare-  
 tur. Inter quos Benedicti Sua-  
 rij Carnalij, Illani Suarj eius-  
 dem fratris, & aliorum qui te-  
 cum erant arctissimo sangui-  
 nis & cognationis gradu copu-  
 lati, fortitudo sic enituit, ut sui  
 ipsorum recordationem publi-  
 cis annalibus et monumētis cõ-  
 signatã reliquerint: usq; adeo  
 ut nulla sit tam ingrata poste-  
 ritas, nulla hominum obliuio tã  
 profundo somno & veterno cõ-  
 sopita, quæ possit de eorundem



laudibus & gloria conticescere.  
 Sed iam tempus ipsum mihi in-  
 ter dicendum aurem vellicavit  
 ut armis prætermiſſis, ad viros  
 dignitate, ſapientia, vita ſancti-  
 monia præcellentes curſum ora-  
 tionis conuertam, quos aluit Ta-  
 labrica, & proprijs uberibus e-  
 ductos in ſuis ſedibus atq; domi-  
 cilijs collocavit. Ex horum nume-  
 ro fuerunt, Petrus Tenorius ec-  
 cleſiæ præfectus Toletanæ, Gar-  
 ſias à Loayſa Hiſpalenſis archie-  
 piſcopus, & ſanctæ Susannæ præ-  
 ſantiſſimus cardinalis, Joannes  
 Menefius çamorenſis antiſtes,  
 Ferdinādus à Talauera primus

Granatensis archiepiscopus co-  
 gnomento sanctus, Rodericus  
 Maldonatus in iure Casareo  
 et Pontificio doctor, quem ar-  
 matam Mineruam vulgus ho-  
 minum appellabat: nã cum Fer-  
 dinandi et Isabella temporibus  
 regnorum omnium habenas sum-  
 mo consilio et prudentia mode-  
 raretur, tam fortem se et stre-  
 nuum aduersus Mauros christia-  
 ni nominis acerrimos inimicos  
 prestabat, ut alterum Achille iu-  
 rares inter confertissimas aduer-  
 sariorum cohortes fulguranti gla-  
 dio dimicare. Verum inter hos  
 omnes excelsum et eminentem lo-

cum occupavit Ioānes Suarius  
 Carnalius, episcopus Lucēsis, pa-  
 truus tuus: qui prater variam ac  
 multiplicē antiquitatis cognitio-  
 nē, prater memoria fidelitatem,  
 qua Themistocles omnes, Sene-  
 cas, Mithridates, Cyros, Hortē-  
 sios lōgo anteuertit spatio, prater  
 morū cādorē eximiāq; vitæ san-  
 ctitatē prater innumerabiles a-  
 lias dotes, qbus ornatus est à na-  
 tura, hoc vno potissimū nomine  
 diuinis laudibus deprecandus  
 est, quòd cum intelligeret, q gra-  
 uē, molestā, et operosā provinciā  
 sustineret, neque arbitraretur se  
 posse omnes sua cura & diligentia



commissas intra virtutum om-  
 nium & officiorum regiones pa-  
 storali baculo continere, episco-  
 patum deposuit, ut tanto onere  
 expeditus in divina legis custo-  
 dia liberiùs versaretur: quod ni-  
 si à summo viro, & humani ho-  
 noris & gloria contemptore pro-  
 ficisci non potuit. Neq; silentio  
 aut taciturnitate obruendus est  
 Garsias à Loaysa doctor theolo-  
 gus, & canonicus Toletanus,  
 gentilis etiã tuus, quem propter  
 maxima præcellentis doctrinæ de-  
 cora, singularem eruditionē, ve-  
 hemens in comparanda sapien-  
 tia studium, progressus nō in pla-  
cida

cida tantum Theologia factos,  
sed in concertatoria illa, & mul-  
tis argumentorum & sophisma-  
tum griphis implicata, consum-  
matam veteris & recentis me-  
morie notitiam, plurimi semper  
fecit Academia Complutensis.  
Verum licet hæc omnia in hoc  
diuino celestiq; viro præclara  
sint, excelsa, magnifica, augusta,  
illud tamen multò admirabilius  
est, & maioribus quasi theatris  
ad celebrationem proponendum,  
potuisse hominem adolescentem  
in tam splendida & florenti for-  
tuna, in tanta diuitiarum affluẽ-  
tia, in tanta forma dignitate, &

totius corporis conformatione, ita  
 suis omnibus cupiditatibus impe-  
 rare, ut libidini, iracundie, aua-  
 ritie, dedecori, ac turpitudini ca-  
 pitalibus inimicis severissimos  
 frenos iniecerit, & non Complu-  
 tensibus tantum, sed Toletanis  
 etiam omnibus, honestissimum in-  
 nocentis, verecundia, iustitiae, fi-  
 dei, liberalitatis, temperantiae, mo-  
 derationis, humanitatis & mi-  
 sericordiae mercatum in publico  
 constituerit: ut inde possint affli-  
 cti & calamitosi homines sola-  
 tium, supplices opem, pauperes le-  
 vationem, agra aut graui aliquo  
 casu et vulnere exulcerati pra-



sentissimū remediū, vitiorū cali-  
 gine cæcati lucē & claritatē, quā  
 à christi signis defecerūt meliore  
 mentē & voluntatē asportare:  
 ut his veluti subsidijs recreati,  
 ad futurā beatitatē ardētioribus  
 desiderijs, cōcitatiore impetu ra-  
 piātur. Felix Elbora, qua tot cla-  
 rissimorū hominū fœtus ad tua  
 laudis & gloria perpetuitatē edi-  
 disti, verūm ex beatissimo huius  
 alumni partu multò felicior, in  
 quo uno uniuersa cernimus or-  
 namenta florescere, qua singula  
 reliquos alios celebres efficere,  
 & glorioso gentium omnium &  
 populorum præconio illustrare

potuerunt. Nam si nobilitatem spectes, à Suariorum familia sui generis initia repetit, quæ iam inde à primis orientis Hispania temporibus præcipuum claritatis locum perpetuo tenuit. Neq; cum Suarijs tantum, sed cum Gyronibus, Carualijs, Roxijs, Castellijs, & his etiam qui à nobili urbe Toleto cognomentum acceperunt, arctissima sanguinis communiõne coniunctus est: qui omnes amplissimis hereditatibus partim à maioribus acceptis, partim propria adauctis industria. sue ditionis pomæria longè lateq; per bonam Hispania par-

tem propagarunt: quiq<sup>ue</sup> suis pro-  
 uentibus et corporibus, barbara-  
 rum gentium aduentum inter-  
 cludendum, & furiosos earun-  
 dem impetus perfringendos esse  
 putauerunt. Inter quos Antonius  
 Suarez à Toletò, Ferdinãdi tui  
 parens, tanta gloria & nominis  
 celebritate aduersus Turcas chri-  
 stiani sanguinis sitientissimos di-  
 micauit, ut ea in obscuro aut te-  
 nebris iacere non possit, sed per  
 omnium ora volitare perpetuò  
 debeat, & posterorum hominũ  
 linguis & vocibus predicari.

Quòd si veram aliam, germa-  
 nam, ac minimè fucatam, aut



fallacem nobilitatem requiras,  
 qua ex solo literarum & virtu-  
 tum splendore proficiscitur, inue-  
 nies neminem ex his clarissimis  
 hominibus, quos priore orationis  
 parte commemoravi, aut acqui-  
 rendæ sapientiæ ardore, aut men-  
 te honestis actionibus locupletan-  
 da, huic præstantissimo viro an-  
 teponendum fuisse. Quod si sin-  
 gulos ætatis gradus diligentius  
 persequaris, poteris nõ dubia aut  
 obscura coniectura, sed oculis po-  
 tius & manibus cõprehendere.  
 Vix dum è crepũdijs, & primis  
 cunarum vagitibus Ferdinãdus  
 noster prodierat, quando futuræ

in lauta ingenuarū artū, et do-  
ctrinarū supellectili cōparanda,  
solicitudinis & diligentia signifi-  
cationē dedit: cū ludis illis om-  
nibus, quibus infantilis aetas potis-  
simū oblectari solet, pratermis-  
sis, ad literariā tabellā, ad evol-  
uendas librorū paginas, ad per-  
tractādas diuorū diuarūq; ima-  
gūculas, nescio qua natura pro-  
pensione ferebatur. Fuit quondā  
veterū opinio, gentiū omniū fir-  
mata consensu, ea prodigia, quae  
nascentis vite principijs, maxi-  
mis et primarijs hoībus cōtigerūt  
aliquid presignificasse, quo aut  
futura eorū magnanimitas et for-  
titudo, aut eloquētia excellentia

aut diuitiarum copia, aut sum-  
mus aliquis luxuriantis, & hu-  
manis sensibus suauiter eblan-  
dientis imperij principatus portē  
debatur. Quid enim aliud illa  
templi Dianæ Ephesiæ deflagra-  
tio eādē nocte, qua Alexāder  
ex Olympiade natus est, prædice-  
bat, quàm id quod Magi cum  
primum illuxit, clamitare cœpe-  
runt, pestem ac perniciem maxi-  
mam toti Asiæ ortam fuisse, qua  
ita deberet eorum terminos per-  
uagari, ut omnia corrumpere,  
vastare, peruertere, depopula-  
retur? Quid fulmen illud in na-  
tali Ciceronis, cuius afflatu vir-



go Romana ita exanimata est,  
 ut pectoris & pedum vinculis  
 dissolutis, monilibus etian et an-  
 nulis dissipatis, omnibus postre-  
 mō vestibus nudata, illaso tamē  
 et integro corpore in pulvere ia-  
 cue. it, nisi eum hominem in lu-  
 cem editum fuisse, qui posset ma-  
 ximis eloquētia viribus ita mor-  
 taliū animos permouere, ut ve-  
 teribus affectibus mitigatis, no-  
 uos induere cogerentur? Quid  
 grana illa tritici, quæ Mida ad  
 huc puero dormienti formicæ in  
 os congesserunt, nisi futuram re-  
 gis opulētiam, & fortunam re-  
 rum omnium abundantia circū  
 fluen-

fluentem significabāt? Quid flā-  
 ma illa, qua Servij Tulli caput  
 ardere videbatur, prænuntiabat  
 nisi ipsum regio diademate, ful-  
 gentibus gemmis & margaritis  
 splendenti, rebus Romanorū du-  
 bīs lumen aliquādo futurū, &  
 regia afflictæ ac propemodū de-  
 ploratæ præsidium? Sic etiā cum  
 Ferdinādus noster nugis omni-  
 bus repudiatis, ad libros natura  
 ductu & magisterio ferebatur,  
 quid aliud præfagiebat, quā ip-  
 sum temporis intercurſu talem  
 futurū, ut inter iurisperitos elo-  
 quentiſſimus, inter eloquentes iu-  
 ris peritiſſimus haberetur? quod

olim de. Q. Scauola dictū fuisse,  
Romanorū monumenta cōme-  
morāt. Quae future doctrina &  
recōdita eruditionis auguria, ob  
scura spe et ceca quadā spectatio-  
ne pendentia, ita secūdus rerum  
euentus certa fecit, ut cū primū  
cœpisset firmata tantisper etate  
rhetorū gymnasia frequētare, tā-  
tum in eloquentia processerit, ut  
quoties diceret, cū multa audiē-  
tium voluptate et admiratione  
diceret: et quod maius momen-  
tum et pondus habet, populares  
habere posset conciones, quibus  
astantium voluntates ad quos  
vellet affectus inflammaret, &



Causa ab eisdem refrigerato & extin-  
 ctu[m] in toto incendio renocaret. Deinde  
~~Leos. la~~  
~~adit.~~  
 cum ad iuris Casarei & Ponti-  
 ficij studia animum applicuisset,  
 ita in his sibi desudandum, &  
 omni impetu & concitatione ela-  
 borandum putavit, ut nemini aut  
 audiendi diligentia, aut infracti  
 laboris pertinacia, aut exquiren-  
 dae veritatis desiderio, aut subti-  
 li & copiosa argumentorum pro-  
 positione, aut grandioribus in pu-  
 gnando lacertis, aut reportanda  
 victoris cupiditate secundus ha-  
 beretur. Atq; eò maioribus vigi-  
 lijs in hac vnare sibi contendendum esse arbitratur, quòd in-  
 uenc. f. l. i.  
 egec.

telligeret, leges ad salutem civium,  
urbium incolumitatem, vitam  
in omni otio & tranquillitate tra-  
ducendam inuentas & excogi-  
tatas fuisse: quæ si de medio tolle-  
rentur, nec domus ulla, nec ci-  
uitas, nec gens, nec hominum v-  
niuersum genus stare diutius pos-  
set: sed omnis rerum natura suis  
veluti sedibus conuulsa, ad exi-  
tium & interitum momento tē-  
poris prolaberetur.) Ab hoc igitur  
curriculo, in quo fuerat cum  
firma & stabili quadam laudis,  
glorie, & immortalitatis opinio-  
ne versatus, cum se in locum soli-  
tarium & ab omni hominum

conuentu et frequentia seiunctū  
 recepisset, ut quæ à magistris sa-  
 pientia nomine celebratissimis au-  
 dierat, pari diligentia & accura-  
 tione memoria recoleret, atq; in-  
 ter se tacitus meditaretur, vix  
 his studijs repetendis extremam  
 manum imposuerat, quando ad  
 Granatensis reip. gubernationē,  
 ad grauissimum illum Vallisole-  
 tanum cōuentum, ad curialem  
 praturam, ad regium orbis terræ  
 amplissimum iustissimumq; se-  
 natum fuit magnis conditioni-  
 bus aduocatus: in quibus muneri-  
 bus administrandis talē se olim  
 gessit, hodieq; præstat, ut probis



hominibus, quiq<sup>ue</sup> suos mores ad  
 honesti regulã effinxerunt, hono-  
 rificentissimã mercedem, sceleratis  
 verò & factiosis, qui in foedis-  
 sima volutantur vitiorũ collu-  
 vie, severissima supplicia ante o-  
 culos proposuerit: ne illi debitis  
 premijs orbari, honestatis locũ se-  
 mel occupatũ desererent, & hi  
 cõcepta impunitatis spe, qua ma-  
 ximã esse solet scelerum omnium  
 & peccatorum illecebra, in alio-  
 rum vellent fortunis & capiti-  
 bus dominari. Iam verò si virtus  
 tũ altissimarũ præstantiã cõside-  
 res, quibus suspectus et animus  
 exornavit, & literarũ dignitatẽ

locus  
 mis  
 unus  
 isque  
 potest  
 dica

per se satis amplam & admirabilem multò magis illustraverit, dices neminem ex his, qui in Elbora sinibus & gremio educati sunt, aut vitæ sanctimonia & innocentia, aut morum & ingenij suavitate, aut humanitatis, clementia, fidei, veritatis, moderationis, iustitiæ & equitatis studio superiorem extitisse. Quid dicam de prudentia, sine qua ne intelligi quidem vlla virtus potest? quam ita tibi ipsi vir gravissime, (ut ad te iam tandem oratio nostra in hoc veluti extremo flexu convertatur) in negotijs omnibus decernēdis copulasti, ut

tua omnium calcusis consentien-  
 tibus dicatur esse propria: quæ tã  
 est in his, qui ad publicos magi-  
 stratus aspirãt, necessaria, ut nul-  
 li magis communitati pestem ac  
 perniciem attulerint, quàm qui  
 huius virtutis presidio destituti,  
 clauum imperij dominationisq;  
 tenent, & ad rerum civilium gu-  
 bernacula pertractanda acce-  
 dunt, nescio quibus furoris, amē-  
 tie, leuitatis, inconsiderantis sti-  
 mulis agitati. Quæ diuina an-  
 mi decora & ornamenta illud  
 tandem efficere potuerunt, ne  
 quisquam sit ex infinita prope-  
 modum hominum multitudine,

Laudat  
 a bono ar-  
 mi



qui ex varijs mundi partibus ac  
 multa inter se locorum lōginq̄  
 tate distantibus, in regia ista ne-  
 gotiantur curia, quacunque sit  
 etate, sorte, conditione, fortuna  
 praeditus, qui in honestissimos tui  
 amores mirabiliter non exarde-  
 scat: Et tuam istam naturam tā  
 ad bene de omnibus promeren-  
 dum proclivem, non omni gene-  
 re caritatis Et observantiae pro-  
 sequatur. Neq̄ mirum, cum tā  
 felicem Et fortunatum vitae cur-  
 sum teneris, ut nullus avaritiae  
 aut effrenatae cupiditatis aestus  
 generosum istum animum absor-  
 bere, nulla divitiarum princi-  
 pum

pum gratia aut subornatio à re-  
 cto & a quo deflectere, nulla sini-  
 stri rumoris aura splendorem tui  
 nominis obscurare, aut leui saltè  
 dedecoris & infamiae macula re-  
 spergere potuerit. Quae omnia, &  
 cum in te uno multò quàm à  
 me praedicata sunt, cumulatiora  
 reperiantur, vir pruden-  
 tissime, nullus sese mihi ius-  
 tius offerre potuit, cui hos no-  
 stri ingenij literarios foetus de-  
 dicandos putarem, quàm tu  
 ipse, qui tot sis nobilitatis in-  
 signibus, tot eruditionis or-  
 namentis, tot excellentissi-  
 marum virtutum luminibus,



tot postremò iustitia ac prudentia splendoribus illustratus. Accipies igitur hilari vultu, ac suavi & serena fronte, hoc paruum munusculum, non ab exigua nostra erga te pietate ac benevolentia profectum: quod tua gratia ac patrocinio non indignum iudicabis, praesertim si tecum reputes eam esse literarum maiestatem, ut nullum sit argumenti genus tam abiectum, nullum tam humile aut minutum, quod non maxime videatur viros principes, & in summo lenocinantis fortuna fastigio constitutos decere. Nam si quod Vitruvius ad Augustum



de architectura, Oppianus ad  
 Antonium de piscibus, Diopha-  
 nes ad Deiotarum regem de a-  
 gricoltura, Iulius Pollux ad Cō-  
 modum Casarem de grammati-  
 ca scripserint, minimè reprehen-  
 duntur, nos etiam eandem fugie-  
 mus vituperationem, si ad te sin-  
 gularem nostrum Meccenatem  
 opusculum hoc, non de domibus  
 aut columnis ad regulam et per-  
 pendiculum dirigendis, non de  
 piscium naturis, aut bestiarum  
 aquas incolentium diversitate,  
 non de agrorum aratione, semē-  
 te facienda, pecorum pastione, ar-  
 boribus inserendis, non de voca-



nes, Pericles, Demetrius Phale  
reus, Isocrates, Pisistratus: ex  
quibus, Demosthenes tantum a-  
pud Athenienses habuit in dicē  
do autoritatis, ut eo loquēte, v-  
niuersa Græcia periculosissimas  
bellorum cōtentiones suscepit,  
susceptas deposuerit: fœdera cum  
regibus publicis execrationibus  
sanciuerit, sancita dissoluere nō  
dubitauerit. Pericles verò tam  
precipiti lingue volubilis celeri-  
tate inter orandum ferebatur,  
ut tonare ac fulminare in concio-  
nibus, totum Græcia imperiū per-  
miscere, & ad suum nutum &  
arbitriū detorquere videretur.



Unde factum est, ut veteres Comici in eius labris omnes videres et lepores habitasse ferant, atque idem publici consilii caput et princeps haberetur. Quid dicam de Phalereo Demetrio, ex cuius ore tam dulcis effluebat oratio, ut tantam facundissimi oratoris suauitatem Athenienses admirati, negotiosam illi constituendam ac temperandam civitatis provinciam mandauerint, et trecentas in eiusdem gloriam ac sexaginta statuas erexerint, ne tanti viri memoria posset ulla vetustate temporis evanescere. Iam verò quanta fuerit Isocra-

tis admiratio, illud satis abunde  
probat, quòd unam tantum ora-  
tionem ex his, quas ad Atheniē-  
sem populum habebat, viginti ta-  
lentis vendiderit, neq; emptor sa-  
tis dignum pretium pro ea perso-  
lutum fuisse arbitraretur. Pisi-  
stratus postremò tantum dicen-  
do valuisse traditus est, ut ei  
Athenienses regium imperium  
orationis lenocinio capti detule-  
rint: Et qui alioqui prudentissi-  
mi habebantur, libertati servitu-  
tem anteferendam esse iudicave-  
rint, ne tanta Pisisstratei sermo-  
nis dulcedine priuarētur. Quòd  
nisi iam oratio nostra è vadis e-  
merisset

merfisset, & scopulos omnes ac  
 difficultates prateruecta iam iā  
 portum spectaret, possemus simi-  
 li exemplorum copia & varie-  
 tate conuincere, non Athenien-  
 se tantum imperium, sed Roma-  
 num etiam, Spartanum, Lace-  
 demonium, Thebanum, per vi-  
 ros eloquentes administrata fuis-  
 se, & in ea, quam habuerūt, am-  
 plitudine et maiestate constitu-  
 ta. Quid quòd nostra etiam me-  
 moria tanta est rhetorica digni-  
 tas & vis, ut qui sunt eius disci-  
 plinis exculti, in senatu, in foro,  
 in legationibus, in bello, in pace,  
 in ecclesia defendēda, in reprimē-  
 dis



dis hereticorum furoribus, in synodo celebranda, in cōcilijs quae nulla erroris, falsitatis, aut mendaciorū nota adulterari possunt, singulares & inter ceteros insignes existant? Neque quisquam se aut praestantem Theologum, aut subtilem Dialecticum, aut consummatum Philosophū, aut acutum Mathematicū, aut prudentem Iuriconsultum, aut bonum postremò Medicum arbitretur, qui non sit eloquentia ornatus? Fuit enim oratio dono quodam providentia nobis omnibus concessa, ut à feris mutisq; animantibus distin-

meq; ind  
gent & TU  
tunc

gueremur: ut siue rebus affligere  
 mur aduersis, siue fortuna no-  
 stris optatis omni prosperitate blā  
 diretur, sensa nostra exprimere  
 possemus: Et ut duros agrestesq;  
 homines à victu ferino ad huma-  
 num cultum Et civilem traduce-  
 remus: qua si sapientissimis sen-  
 tentijs, grauibusq; verbis vestia-  
 tur, fit, ut expressam diuinitatis  
 cuiusdam imaginem pra se ferre  
 videatur. Nam quid obsecro  
 admirabilius, quàm posse dicen-  
 do infinita multitudinis animos  
 suspensos tenere, mentes allicere,  
 voluntates impellere quò velis,  
 unde autem velis eadem facili-

notetur sit  
 unquādo,  
 Rhetorica

tate reuocare? Quid tam potēs,  
 tamq̄ magnificum, quàm homi-  
 nes ad humanitatem, misericor-  
 diam, pacem, beneuolentiam, to-  
 lerantiam, eosdem contrà ad fe-  
 ritatem, duritiam, discordiam,  
 odium, ultionem, diuersos inter  
 se ac repugnantes affectus, ora-  
 tionis viribus & artificio conci-  
 tare? Quid tam porro regium,  
 tam liberale, tam munificum,  
 quàm innocentissimis ciuibus,  
 de quorū meritis grauissima se-  
 natus iudicia fecerit, opē ferre?  
 ex altissimo dignitatis loco deie-  
 ctos consolari? & à liberis ciui-  
 tatibus iugum seruale, & seueris

D      sine




sim & tyrannidis crudelitatem de-  
 pellere? Quid tam necessarium,  
 quàm existere unum in rep. qui  
 possit praelioris astus & ardores  
 dicendo sedare, & ignaviã civiũ  
 atq; socordiam admotis verbo-  
 rum facibus inflammare? Qua  
 omnia eò spectat vir illustris, ut  
 intelligas, licet tenue sit donum  
 quod tibi offeratur in presentia,  
 dignum tamẽ esse, ut aperto pro-  
 pensæ voluntatis indicio excipia-  
 tur: tum quòd rhetoricum sit, tũ  
 quòd ab eo missum, qui sese iam  
 pridem in tuam addixit cliente-  
 lam, & nihil ardentius cupiat,  
 quàm tibi tuisq; omnibus inser-

uire. Quod si ut speramus præsti-  
 teris, & expectationem, quam  
 de tua probitate apud cunctos  
 mortales concitasti, sustinebis, et  
 ad plura alia scripta, quæ in no-  
 stris scrinijs delitescunt, divulgã-  
 da, maiores nobis animos et mul-  
 tò alacriores efficies. Vale totius  
 Hispania lumen & ornamentũ,  
 ac te deus opt. max. iuuandis bo-  
 nis omnibus, & literarũ studijs  
 prouehendis, diu seruet incolu-  
 mē. Compluti, pridie nonas Ma-  
 ias, anno ab ortu Christi sex-  
 quimillesimo sexagesi-  
 mo nono.

(?)

D 2

Rhetoricæ exercitatio  
nes magistri Alfonsi Turri-  
tani, amplissimi diui Isidori colle-  
gij patroni, & eloquentiæ pro-  
fessoris in Academia Com-  
plutensi.

 Quintilianus egre-  
gius dicendi arti-  
fex, & longè præ-  
stantissimus elo-  
quentiæ &  
eruditio-  
nis magi-  
ster tradit libro. i. cap. 9. oportere ado-  
lescentes in minoribus dicendi facul-  
tatis operibus priùs exerceri, quàm ad  
magnum illud declamationum opus  
perducantur, ex quo certior est illis,  
& ad maiorem temporis longinqua-  
tem duratura, laudis, gloriæ, & immor-  
talitatis proposita ante oculos specta-  
tio



tio. Sunt autem minora opera numero quatuordecim: fabula, narratio, chria, sententia, confutatio, confirmatio, locus communis, laudatio, vituperatio, comparatio, ethopœia, descriptio, Thesis, legislatio. Quæ, ut à pueris faciliùs ac fideliùs multò memoria teneantur, tribus hisce versiculis prisce rhetores complexi sunt.

Fabula, narratur, chriæ, sententia, futat,  
 Confirmat, locus haud priuus, laus, cri  
 mina, confert,  
 Fictio, descriptũ, Thesis, ac inductio  
 legum.

Ex his, quinque generis sunt delibera-  
 tiui: fabula, chria, sententia, legislatio,  
 Thesis. Quinque alia iudicialis: con-  
 firmatio, confutatio, narratio, descri-  
 ptio, locus communis. Quæ supersunt  
 quatuor demonstratiui: laus, vitupera-  
 tio, imitatio, comparatio. Sed quia ex  
 sententia Quintiliani eodem superio-  
 ris libri capite quædam Rhetorices  
 primordia grammaticis permixta sunt,

quibus ætates nondum rhetoris disciplinam & formationem capientes insituere debeant: propterea nos de his præexercitationibus principio agemus, quæ ad grammaticos potissimum spectant, deinde ad eas, quæ rhetorum propriæ sunt, nostra progredietur disputatio. Grammaticorum curæ commissæ sunt illæ quatuor: fabula, sententia, chria, ethologia, siue eam ethopœiam malis appellare. De his, quo propositæ sunt ordine, disseramus.

### Prima exercitatio gram-

matica de fabula.

**F**Abulas primus omnium conscripsit Hesiodus, qui annis centum atque tribus superior Aesopo fuit. Has primas pueris adhuc rudibus & in summa rerû ignoratione constitutis tradere solbant grammatici, tum quòd nutricularum fabellis proximè succederent, quibus audiendis iam inde ab eo

tempore aures haberet assuefactas, quo primos in cunis vagitus ac ploratus edidissent: tum etiam, quod teneris & mollibus eorum animis ad meliorem vitæ rationem cōfectandam fenestras omnes aperirent. Delectant enim vehementius, & efficacius persuadēt. Delectant faceta quadam morum imitatione, qua imperiti supramodum capiuntur, & si quis alius est, qui prisca illam aurei seculi rusticitatem sapiat. Fidem faciunt, quia veritatem nullis mendaciorum pigmentis fucatam ponunt ante oculos. Itaque non solum ad oblectationē & iucunditatē conducūt, sed maximum etiam habent momentū ad persuasionis & cōmotionis aculeos in audiētium pectoribus infigendos. Vnde factum est, vt Aristoteles qui arti rhetoricæ plurima præsidia & adiumenta subministravit, inter probationes rhetoricas fabulas constituerit. 2. rhetoricorum ad Theodectem. Ex hoc etiam fonte profuxit, vt non



Exercitationes

tantum poetæ, sed rhetores etiã atque  
 philosophi fabulis vtantur: rhetores  
 quidem ad rem aliquam persuadendam  
 quæ publicæ libertati, communitalis  
 opportunitatibus & otio, sit cum pri-  
 mis utilis atque necessaria. Vt Mene-  
 nius Agrippa qui nota illa de mem-  
 bris humanis aduersus ventrem dis-  
 cordantibus fabella plebem patribus  
 reconciliauit, vulgiq̃ue voluntates ob-  
 stinatas in suam flexit sententiã. Præ-  
 terea Demosthenes aduersus Philip-  
 pum ab Atheniensibus decem orato-  
 res postulante[m]. lupi, inquit, suaserunt  
 pastoribus vt in amicitiam & animo-  
 rum conformationem conuenirent,  
 ac tandẽ atroces illæ similtates, quas  
 secum haberent, componerentur. Cũ  
 que pastores huiusmodi postulatis ac-  
 quieuisent, petierunt lupi, vt canes si-  
 bi mordacissimos traderent, veluti se-  
 curitatis obsides, in quibus videbatur  
 tota iurgiorum occasio, & rixarũ ma-  
 teria consistere. Quo factõ, lupi omni-  
 timo.

timore & formidine depulsa, vniuersum gregem non solum pro satietate, sed etiam pro libidine lacerauerunt. Sic, inquit, sublatis oratoribus, in populo Atheniensium facturus est Philippus: qui oratores postulauit, vt ciuitatem vigilantissimis custodibus spoliata possit facilius inuadere, atque per vim quandam, & tyrannidem opprimere. Philosophi verò fabulas inducunt, vt his veluti flammis mortalium animos turpissimis cupiditatibus addictos, ad virtutis amorem, & honestatis studiū incendant. Talis est fabula illa, quam Plato. 2. de rep. siue de iusto dialogo commemorat de Gygis anulo. Gyges, inquit, cū terra discessisset magnis quibusdam imbribus, in illum hiatus descendit: aneumque equum animaduertit, cuius in lateribus fores essent: quibus apertis, hominis mortui vidit corpus magnitudine inusitata, anulumque aureū in digito: quē vt detraxit, atque ipse induit (erat

autem regius pastor) tum in cōcilium  
 pastorum se recepit: ibi cū palā eius  
 annuli ad palmam conuerterat, à nul-  
 lo videbatur, ipse autē omnia videbat:  
 idem rursus videbatur, cū in locū an-  
 nulium inuerterat. Itaque hac opportu-  
 nitate annuli vsus reginę suprum in-  
 tulit, eaque adiutrice regem dominum  
 interemit: reliquosque omnes de me-  
 dio sustulit, quos suis nefarijs conati-  
 bus obstare arbitrabatur. Neque in his  
 facinoribus eam quisquam videre po-  
 tuit. Sic repentē annuli fatalis benefi-  
 cio, è pastore rex Lydię factus est. Hęc  
 fabulam introduxit Plato, vt homines  
 à peccando deterreret. Nam si hunc i-  
 psum anulum haberet sapiens, nihil  
 plus sibi licere putaret peccare, quàm  
 si nō haberet. Id enim omnibus persua-  
 sum esse debet, nihil auarē, nihil iniu-  
 stē, nihil libidinosē, nihil incōtinenter  
 esse faciendū, etiā si possimus omnes deos  
 hominesque celare. His in hunc mo-  
 dum pręgustatis, explicemus quid  
 nam



nam sit, & quotuplex fabula, & vnde tam variam acceperit appellationem, & postremò qua ratione tractari possit, quod magis ad presens institutum facit.

### Quid sit fabula.

**F**abula est sermo falsus veritatem tamen effingens. Nam licet poëte figmentis quibusdam vtantur, isdem altissima philosophiæ sacramenta continentur. Exemplo sit Homerus, cuius Ilias ostendit, quantum calamitatis & miserię libido mortalibus importare soleat. Odisea verò sub Vlyssis persona, virtutis exemplar, & sapiētis hominis effigiē quandam atque simulachrū ad viuū expressit. quī licet varias fortune iactationes experiatur, nullis tamē rerū aduersitatibus obrui aut suffocari potest. Vnde colliges, in fabulis licet fictitia & mēdosa sint argumēta, quę quę nullā veritatis vim intrase

conti

## Exercitationes

continere videantur, rationem tamē  
quandam latēre, qua veritas cognosci  
manifestari que possit, ficta quidē nar-  
ratione, sed veraci significatione.

### Quotuplex sit fabula.

**T**Riplex est, fabularum partitio: nā  
aliae rationales sunt, aliae morales,  
aliae mixtę. Rationales sunt, quibus fin-  
gimus hominem aliquid operari, cu-  
ius generis illa. Agricola cū filios  
suos videret quotidie intestinis seditio-  
nibus atque odijs tumultuari, neque  
eos posset in fraterna gratia & carita-  
te ponere, iussit fasciculum virgarum  
sibi afferri: quæ cū fuissent allatæ,  
omnes funiculis quibusdam colliga-  
uit, & vt singuli eorum fasciculum ca-  
perent, atque confringerent, impera-  
uit. Illis verò frangere non valētibus,  
singulis singulas virgas frangēdas tra-  
didit: quod cū nullo negotio præsti-  
tissent, subiecit: ita quidem & vos, filio

li mei, si vnanimis & concordis per-  
stiteritis, nullus quantumuis capitalis-  
simus hostis poterit expugnare: sin mi-  
nus, inimici impunè ac liberè vestris  
fortunis & capitibus insultabunt. Si-  
gnificat fabula res minimas concor-  
dia crescere, discordia maximas dila-  
bi. Morales sunt, quæ ratione caren-  
tium morem imitantur: id genus est il-  
la. Testudo multis precibus ab aquila  
contendebat, vt se doceret volare:  
cùm verò aquila admoneret, hoc à na-  
tura ipsius plurimùm abhorrere, illa  
magis ac magis precibus instabat. Ac-  
cepit igitur ipsam vnguibus, & in lo-  
cum altum sustulit, ex quo deiecta in-  
ter petras & scopulos miserè contrita  
est. Fabula innuit, ea quæ repugnante  
natura fiunt, solere infelices exitus for-  
tiri. Mixtæ, in quibus rationale & irra-  
tionale iunguntur: qualis illa de cane  
& laniò. Canis quidam insiliit in ma-  
cellum, & cùm lanius alijs quibusdam  
negotijs intentus esset, cor pecoris ar-  
ripuit



Exercitationes

ripuit & aufugit. Quem Ianius fugientem contemplatus, inquit: ô canis abi, nam ubicûque fueris, tua deinceps vestigia diligenter obseruabo: non enim mihi cor sustulisti, sed cor dedisti. In-  
nuit fabula ex iactura facta solere ple-  
rosque mortales prudentiores fieri.

Varia fabulæ appellatio.

**V**arias habet appellationes: nã modo Sybaritica, modò Cilix, modò Cypria, modò Milesia dicitur, receptis pro inuentorum varietate nominibus. Sybaritarum gens in voluptatum fuit architectura operosissima: nam vt Suidas testis est, aded fuit luxus & deliciarum ignominia notata, vt quicquid effoeminatû, quicquid molle, quicquid accurata atque ambitiosa luxuria paratum esset, id vulgò Sybariticum diceretur. Hinc aniles fabulæ & parum pudicæ vocantur Sybariticæ, propter nimiam lasciuiam ac libidinem Sy-  
barita

baritarum, apud quos nugæ ac voluptates in pretio, frugalitas odio fuit. Hos ex Africano Politianus Miscellaneorum decimo quinto narrat, eò deliciarum venisse, vt equos in conuiuia introducerent, ita institutos, vt audito tibiæ cantu, statim se tollerent arreptos, & pedibus ipsis prioribus vice manuum gestus quosdã chironemiæ, motusque ederent ad numerum saltatorios. At enim tibicen (inquit) ibi qui spiam contumelia affectus transfugit ad Crotoniatis hostes, paulò antè prælio superatos à Sybaritis, illis que pollicetur, (si fidem modò habeant) sua opera Sybaritarum cunctorum equites in ipsorum venturos potestatem. Credita res, & belli dux creatus à Crotoniatis tibicen, conuocat omnes quot quot eiusdè forent in vrbe artificij, & cum illis modulatè canentes tibiæ in manus tradidisset, vt visum tempus, procedere in hostem iubet. Sed enim Sybaritæ fastu præurgidi, quòd equi-

## Exercitationes

equitatu superabant, eunt contra, præ-  
 liumque conferunt. Tunc autem re-  
 pentè dato signo, tibicines vniuersi  
 conspirant. Ecce tibi cognita modula-  
 tione, cantuque illo vernaculo, tollunt  
 eriguntque semet in pedes equi Syba-  
 ritarum, fessoribus excussis: & quod tri-  
 pudium domi didicerant, etiam in acie  
 exhibent. Ita capti omnes equites, sed  
 humi iacètes: omnes equi, sed tripudia  
 repræsentantes. Præter hæc Athenæus  
 libro. 12. cap. 6. narrat tantam Sybari-  
 tarum fuisse mollitiem, vt nullum opi-  
 ficium in ciuitatem admitterent, quod  
 cum strepitu exerceretur: veluti fabro-  
 rum ærariorum, aut lignariorum, ac si-  
 milium: ne quid esset quod dormienti-  
 bus obstreperet. Atque adeò ne galli  
 quidem gallinaceum in ciuitate fas erat  
 alere, ne quid esset, quod illis somnum  
 interruperet. Eos prætereà adeò in de-  
 licias solutos fuisse, vt publica lege  
 sanxerint, vt qui anguillas venderent,  
 tributum non persoluerent, neque qui



cas venerarentur. Aded ipforum gustui & palatis periucunda habebatur anguilla. Quod si quis obsoniorum artifex aut coquus edulium aliquod inuenisset, quod languescens stomachum excitare posset, publicis decorabatur muneribus, non secus ac si patriam ex dura atque intolerabili seruitute in dulcissimam libertatem asseruisset. Plutarchus in conuiuio septem sapientum tradit, apud Sybaritas hunc fuisse morem, ut mulieres ab usque anno priore ad conuiuium vocarentur, quod se per otium auro vestibisque possent exornare. In finita res esset, si vellem vniuersum Sybaritarum luxum, quo in vestibis & coenis utebantur, describere: satis sit tradidisse, ex tanta nature ipsorum peruersione usque aded infamatas fuisse fabulas, ut voluptariae fabulae, impudicae, & omni genere turpitudinis replete, passim Sybariticae appellarentur.

Est etiam fabula dicta Cilix, à Cilicia minoris Asiae regione, Syriae proxima.

E. Cilicum

## Exercitationes.

Cilicum autem vanitas, & mores fuerunt apud priscos notati. Cui rei indicio nobis sunt prouerbia illa vulgò de Cilicibus iactata, quibus Cilicum nomē à cæteris gentibus et nationibus fœdissimè proscindebatur. Cilix haud facile verum dicit: quod à moribus eius gentis natū est, quæ semper solebat veritatem quibusdam mendacij & falsitatis integumentis occultare. Tria Cappæ pessima: quo trium gentium mores notati sunt, Cappadocū, Cretēsū, & Cilicū. Augustinus in grāmaticis indicat fuisse detortū in Corneliū Syllā, Corneliū Cinnā, & Corneliū Lentulū, creditūque fuisse in libris Sibyllinis horū nomina tribus hisce literis fuisse designata.

Cypria dicta à Cypro, quæ insula est inter syriā et ciliciā in mari carpathio posita, famosa luxu. In qua sūt Cypros, cythera, Paphos, veneri cōsecrata. Vnde Ven' ipsa cypria, Cytherea, et Paphia veterū poëtarū monumētis dicta est.

Mile-

Milesia, à Milesijs Ionię populis, qui luxu diffuebant: quod ex eo potissimū constare potest, quod Athenęus libro dipnosophistarum, i. 2. narrat, Sybaritas scilicet Tyrrenos ex Italia, extra Italiã Iones veluti numen aliquod cęlestē coluisse, quod præter cęteros totius orbis populos delitijs vteretur. Id etiã constare potest ex vulgari illo prouerbio: domi, nō hic Milesia: quod in eos iactari solitū est, qui ibi domesticū luxum celebrant, vbi minū pro batur. Nā sic Lacedæmone Milesi<sup>9</sup> ho spes audiuit, cū delicias patrias extolleret. Cæterū præcipua Milesiorū molities in vestitu cōstituta erat, ppter ea q̄ apud illos texta esset omniū mollissima. Vnde vergili<sup>9</sup> Georgicorū quarto, delicatissima vellera Milesia nominat, eã circū Milesia vellera nymphæ carpebāt. Quin et Apuleius, in carmine lābico, quo asinū suum auspiciari voluit, demulcētes et prurientes narrationes suas sermonē Milesiū vocat. At ego



## Exercitationes

(inquit) tibi sermone isto Milesio varias fabulas conferam: hoc est, iuxta Be roaldi interpretationem fabuloso, le pido, iocoso, delicato ludicro, à Mile sijs, qui luxus & deliciarum nomine malè apud omnes audiebant. Quorù est illud memoria antiquitatis celebra tum: nemo nostrum frugi esto, alioqui cum alijs eiiciatur. Simile Ephesiorù dictum, qui cùm principem Hermo dorum ciuitate expellerent, ita ferun tur locuti: nemo de nobis vnus excel lat sed si quis extiterit, alio in loco, & apud alios sit. Simile etiam genus illud exilii apud Athenienses, quod Ostra cismum appellabant, quo hi omnes ex vrbe & proprijs laribus exterminaban tur, qui iustitiæ sapientiæ, fortitudinis, temperantiæ, moderationis, & reliqua rum præstantissimarum virtutum opi nione, cæteris ciuibus antecellerent.

Priscianus in præexercitamentis suis fabulas ponit Libycas, à Libya: quæ vt variarum ferarum ac monstrorù  
ferti

fertilissima est, ita gentis ingenia fuerunt ad fabulas propensa. Et prouerbio Libycam feram appellabant hominē vaftrum, callidum, versipellem, varijs moribus, ancipitiq̄ue ingenio. Quod genus portentum Cicero Catilinam fuisse testatur. Sed licet fabula hæc varia acceperit cognomēta, illud tamen iam vsus obtinuit, vt Aesopica potius vocaretur: quòd Aesopus omnium optimè fabulas conscripserit. Nam cūm eas Aesopus à Mercurio acceperit, in tanto fuerunt pretio habitæ, vt qui eas non legisset, indoctus & rerum omniū ignarus putaretur: vsque adeò vt qui Aesopum non triuisset, alphabetarius puer ab omnibus iudicaretur. Et propter easdē tantam sibi fecit Aesopus nominis celebritatem, vt in numerum sapientum ex gentium omnium atque nationum suffragio fuerit aggregatus.

Quot capitibus constet fabulæ dilatatio.

## Exercitationes.

**S**ed iã ad illud accingamur, in quo ma-  
iora ad vberes eloquẽtię fruct<sup>9</sup> decer-  
pẽdos, expugnandãq; ingeniorũ sterili-  
tatẽ, momẽta posita sũt: quo pacto. s. fa-  
bula tractari debeat, et cũ multo studio  
sã iuuetutis fructu amplissimẽ dilatarì  
Sex potissimũ capitib<sup>9</sup> constat cuius-  
que fabulę dilatatio. Autoris laude, præ-  
fabulari, factõ, collatione, cõtrario, cõ-  
clusionẽ. Vnam aut alterã fabulã qua  
possimus verborum copia & vbertate  
dilatemus.

### Fabula de Sirenibus bre- uiter explicata.

**T**res fuerũt Sirenes, quarũ vna Par-  
thenope humana voce, altera Leu-  
cosia tibijs, tertia Ligya canebat Lyra:  
& tãta cantionis dulcedine trãseuntes  
nautas permulcebãt, vt ex sola carmi-  
nũ suauitate profundo quodã lethargo  
premeretur, et cũ sopitos persentirẽt  
in aquarũ profunditatẽ submergerẽt.

Qua



Quare cum iuxta illas transiturus esset prudens Vlysses, cera sociorum aures obturauit, & ipse se ad nauis malum alligari iussit, ut ea ratione saluus & incolumis ad vltiores ripas maris præterueheretur.

Eadem ex suis capitibus multo fusiùs & copiosiùs dilatata.

Ab autoris laude.

**H**omerus poetarum omnium tam grecorum quam latinorum facile princeps, tanta sapientia, & diuinis animi dotibus atque ornamentis excellit, ut eum, postquam fuit vitæ muneribus defunctus, & huius suauissimæ lucis vsura priuatus, totus propemodum orbis sit amplissimis honoribus profecutus, & tanquam numen aliquod religiosissimè veneratus. Quo vno nomine factum est, ut grauissima fuerit olim inter varias gentes remotissimasque nationes de Homeri natiuitate et sepulchro suscepta cõtentiõ. Colophonij

## Exercitationes.

ciuem esse dicunt suum, Chij suum vé dicant, Salaminij repetunt, Smyrnæi verò suum esse cõfirmant: itaque etiam delubrũ eius oppido publicis cęremonijs, & sacris anniuersarijs dedicaerunt. Per multi alij prætereà de simili gloria & celebritate pugnant inter se, & quibusdam contumeliarum ac maledictorum aculeis, ceu vespæ, se ipsos pungunt, ne de tantæ laudis gradu deiecti, ac turpissimè deturbati videantur. Dignissimus profectò honore tãto poëta Homerus, qui præclara diuini ingenij ad posteritatis vtilitatem & decus reliquit monumenta, in quibus nõ postremum tenet locum, quam de Sirenibus conscripsit, fabula.

## A præfabulari.

**Q**ua sapienter ac diuinitus docuit, voluptates corporis solere humanis sensibus suauiter lenocinari: & eos, qui blandissimis ipsarum vocibus faciles

les aures præbent, in profundum miseriarum omnium & calamitatû Oceanum submergere. Contra sapiêtes, qui obscœnissimis hisce permotionibus nõ inferuiunt, horum malorum expertes esse, & omnibus affectibus expeditos, in tuto & tranquillo vitam traducere.

### A factò.

**F**ingit enim Sirenes tres fuisse sorores, Acheloi fluminis & Calliope, musæ filias, quæ in Capreis maris Siculo insulis habitantes, superiore sui parte virginalé formam referrênt, inferiore verò in pisciû caudas desinerênt. Hæ voce, cithara, & tibijs tam blandè canebant, vt suauitate cantus & harmonia præternauigantes nautas consopirent, consopitos demergerent, demersos etiam deuorarent. Vlysses autem cùm illac iter esset facturus, cera ad solis ardores liquefacta sociorû aures illeuit, ne insidiosis ipsarum canti-



## Exercitationes

bus deliniti pellicerentur: ipse verò à  
 socijs est ad málum navis manibus pe-  
 dibusque alligatus, vt ita posset iam iá  
 impendentis periculi magnitudiné ef-  
 fugere. Iam navis fuerat ad lubrica &  
 scopulosa loca appulsa, & cùm Vlyf-  
 sis aduentus Sirenas minimè latuisset,  
 dulcedinis & suauitatis plenã parauere  
 cantioné, quæque posset duros & agre-  
 stes animos emollire. Siste tantisper  
 ratem ô Vlysses Græcorum omnium  
 gloria, ne dubita ad nos appropinqua-  
 re, vt possis propiùs nostras voces ex-  
 audire, & à tantis militiæ & nauigatio-  
 nis laboribus interquiescere. Nullus  
 vnquam háciter ingressus est, quin no-  
 stris carminibus aures dederit beneuo-  
 las, & ex modulatione nostra rara &  
 inusitata quadam voluptate perfusus  
 fuerit, & doctior multò atque pruden-  
 tior euaserit. Scimus quæ nuper a-  
 pud Troiam gesta fuerint: scimus eos  
 ardores bellicos inter Troianos &  
 Græcos fuisse cõcitatos: vt eo misero fa-  
 tali que

taliq̄ue prælio innumera vtriusque gē  
 tis corpora humi prostrata fuerint, cru  
 dis vulneribus interēpta. Nō ignoram⁹  
 in hoc præsertim peruulgato populorū  
 omnium atque nationum sermone, te,  
 postquā Troia graui cōflagrauit incē  
 dio, & deorum aræ, tépla, delubra, pul  
 uinaria tædis furiarum ardentibus con  
 cremata sunt, multas sæuentis fortunæ  
 iactationes, miserrimaq̄ue naufragia  
 pertulisse. lube igitur vt nauis impetus  
 pulsusq̄ue remorū vel punctū tēporis  
 intermittatur, vt tot ac rā diuturnis la  
 boribus quassatus nostris delitijs ac vo  
 luptatibus perfruare. Pollicemur futu  
 rum, vt nunquam te pœniteat nostris  
 precibus & salutaribus cōsilijs acquie  
 uisse. Has voces Vlysses melliti vene  
 ni plenas cōtemnédas esse duxit: atque  
 ita periculū, quod suis ceruicibus immi  
 nebat, tutus euasit. Illæ verò doloris im  
 patientia, & acceptæ iniuriæ indi  
 gnitate, seipsas in mare præcipita  
 uere.

## Exercitationes

### A collatione.

**Q**uid hoc factò crudelius aut immanius fingi aut excogitari unquam potuit? Nullus hostis periculofior est, quàm is, qui tum cum maxime fallit, id vnum agit, vt vir probus, clemēs, humanus, & māsuetus esse videatur. Et quis tyrannus tam extitit vllis temporibus ferus, barbarus, & sanguinarius, qui antequàm in aliquē violentas & sacrilegas manus iniecerit, nò vel leui aliqua occasione ad tantum facinus impelleretur? At verò Sirenes nullis alienis sceleribus, sed sola nocēdi libidine inductæ fraudem sub blādiatiarum illecebrarumque obtētu prætextentes, inauditum barbariæ & immanitatis genus in prætereūtes nautas exercebant, omni aditu humanitatis & misericordiæ intercluso.

### A contrario.

Quem



**Q**uemadmodum præda post magnos militiae sudores, multumque sanguinem profusum ex hostibus capta, victoribus solet esse gloriosa, sic ea, quam quis sibi ex his hominibus comparavit, cum quibus nullas inimicitias aut similtates exercuit, non potest non esse ignominiosa. Ut eo nomine potissimum nautarum mors magis esse dolenda videatur, quod indignis & nihil meritis acciderit, & ab his illata fuerit, quas nunquam dicto, facto, aut cogitato offendissent.

### Conclusio.

**Q**uæ crudelitas Sirenum sub amoris & benevolentiae operimentis occultata, ostendit sub hilari meretricularum fronte, dolos, simulationes & fallacias delitescere: & nobis esse earum consortia magnopere fugienda, quæ solet tenebras et quasi noctem quandam nostris mentibus offundere: præstigijs quibusdam  
& car

## Exercitationes.

& carminibus humanos animos demē-  
tare: & tandem ad extremam perniciē  
interitūque deducere. Et quoniam in-  
stitutū nostrum est, studiosis adoles-  
centibus, qui ad politiores musas aspi-  
rant, vniuersos eloquentiæ fontes re-  
ferare, exēplariaque illis quædam pro-  
ponere, ad quorum imitationem pos-  
sint se ipsos effingere, placuit fabulam  
alteram per sua capita dilatando dedu-  
cere: ne in tam vbere & diuite materia  
ieiuni, aridi, steriles, & rerum omniū  
inopes esse videamur.

### Fabula de filio & matre, suc- cinctè & compendiosè narrata.

**P**Ver quidam furatus est in schola ta-  
bellam alphabetariam, eamque tra-  
didit matri suæ. Deinde cū ætas plus  
roboris suscepisset, maiora furari cœ-  
pit. Cū verò ad furcam duceretur,  
carnificem rogauit, vt sibi liceret ma-  
trem paucis conuenire. Quæ cū au-  
rem

rem ad os filij admouisset, ille matris auriculã rabiosis dentibus euulsi. Qui circum erãt fusi, cum cœperunt impietatis arguere: quibus ille dixit, hæc nostræ miseriæ & calamitatis extitit causa, nam si me principiò castigasset, non essem modò ad suspendiũ pertractus.

### Eadem maiore verborũ

vberrate exposita.

Ab auctoris laude.

**A**Esopus ille è Phrygia fabulator, nõ immeritò à veteribus sapiētissimus iudicatus est, & in eorum numerum relatus, qui sua nomina publicis literis & monumentis consignata reliquissent: quoniam quæ videbat in maximam mortaliũ vtilitatẽ redundare posse, non seueris adhortationibus, nõ imperiosis vocibus præcipere, aut suadere nitebatur, vt quibusdam superciliosis philosophis mos est, sed festiuos delectabilesq; apologos cõmẽtus, quæ  
 pru-



## Exercitationes

prudenter excogitauerat, in mentes a animosque hominum cum summa auri voluptate instillauit. Verum licet omnis fabula ad mores hominum eleganter formandos, eosdemque a vitiorum turpitudine deterrendos plurimum conducatur, in ea tamen, quam de filio & matre confinxit, multo salubriora philosophiae praecepta recondita sunt, & quae ad rectam puerorum filiorumque institutionem maius pondus habeant & momentum.

### A praefabulari.

**Q**ua significare voluit, eos pariter solere in summum dedecus, variasque hominum reprehensiones incurere, qui ad filiorum peccata conuiuent: quae nisi inter initia seuerissimè puniantur, in eam magnitudinem decursu temporis excrescunt, ut eos in omne genus turpitudinis effrenata peccandi licentia praecipites trahant.

A. fa.

## A factō.

**C**VM puer quidam in schola in perdiscendis primis literarum elementis versaretur, tabellam cōdiscipuli alphabetariam furatus est, eamque ad matrem domum tulit. Mater in filium debitis supplicijs non animaduertit, sed eum potiùs multis osculis & amplexibus excepit, ac tantam in furtis faciendis subtilitatem cōmédauit. Cùm puer iam se ipsum corroborauisset, & vir inter viros esset, ad maiora furta animũ adiecit. Et cùm in his fuisset deprehensus ac tandem iudicum sententijs conuictus, rectà ad restim trahebatur, vt iugulum daret carnifici. Mater lacera ta coma, facie vnguibus fœdata, filium iam iam ad crucis supplicium appropinquãtem multis lachrymis & clamoribus prosequabatur. Ille à crudelissimo licitore importunis precibus contēdebat, vt se permitteret nescio quid

matrī in aurem infufurrare. Quæ cūm  
ori fili, se ipfam admouiffet, ille matris  
auriculā abfcidit acerrimis morfibus  
cuulfā. Cūm verò fatellites, & qui cū  
eis in eodē erāt comitatu, ipfum nō vt  
furē tātūm, fed vt impiū iniuriofis vo  
cibus infectarētur, fubicit ille: mater  
tantorū malorū extitit seminarium &  
origo: nam fi me, cū primū furari coe  
pi, crudis verberibus flagellaffet, &  
acres verborum faces admouiffet, ad  
hæc ignominiofa mortis discrimina  
non veniffem.

## A collatione.

*Plutarch<sup>9</sup>  
in Laconi  
cis institu  
tis.* **A** Pad Lacedæmonios mater quæ se  
præfente peccantē filiū nō reprehē  
diffet, perinde ac fi ipfa peccaffet, ex se  
ueriffima Lycurgi difciplinā plecteba  
tur: & quæ puerilē institutionē negli  
geret, iura omnia ciuitatis deperdebat.  
Vnde extitit plurima Lacenarū exēpla  
quæ non dubitarūt natos proprijs vbe  
ribus



ribus eductos interimere, quòd aut ex acie cù summa turpitudine & ignominia aufugissent, aut militiæ labores & discrimina fracto & abiecto animo tolleraret, aut quòd suæ familiæ & posteritatis dignitatē turpi aliquo furto, rapina, latrocinio deformassent. Cù his si præsens mater conferatur, omnibus erit probris ac maledictis laceffenda: quòd non tantùm filij peccatum non reprehenderit, sed honorifico potiùs præconio cõmendauerit.

### A contrario

**Q**uemadmodum matres de genero-  
sa filiorum educatione sollicitæ, omnium linguis, literis, monumentis celebranda sunt, ad sempiternã totius orbis memoriã, nullisq; tēporum mutationibus interitura: sic quæ huiusmodi curã negligunt, præter cõmunem cunctorum vituperationem, illud etiam meretur, vt earum recordatio iisdem,

Exercitationes  
quibus corpora, tumulis sepeliatur.

## Conclusio.

**C**Vrandum igitur est his omnibus qui liberos genuerunt, vt eorum animos præclaris virtutú præceptis formet: neque patiantur, rudem & teneram ætatem leuissimis etiam vitijs deprauari: ne si procedentibus annis in deteriora prolabatur, sibi periculum, patriæ infamiam, parētibus inuidiam, acerbissimosque luctus pariat.

## Secunda exercitatio grammatica de sententia.



**A**Ltera grāmaticorū exercitatio sententia est, de qua pauca nobis principio differenda sunt, ne rebus minùs necessarijs paginas impleamus, & vt celerius ad id, quod est nostri

nostri muneris & propositi perueniamus. Sententia est oratio, quæ breui verborum complexu, quid sit, aut quid esse debeat in vita ostendit. Sunt autem autore Quintiliano lib. 8. cap. 5. varia sententiarum genera. Nam aliæ ad aliquid agendum exhortantur: ex quarum numero est illa Ciceronis in Philippicis, optimus portus poenitentii, mutatio consilij. Aliæ ab agendo deterrēt: ut sapientis non est, rebus prosperis, et ad votum fluentibus inolescere. Aliæ generalem quandam enuntiationem habent: ut, inuidia ipsa sui supplicium est. Præterea aliæ sunt simplices: ut, optimum augurium est pro patria mori. Aliæ compositæ, quæ admixtam rationem habent: ut, in omni certamine qui opulentior est, etiam si accipit iniuriam, tamen quia plus potest, facere videtur. Rursus quedam probabilis est: ut oratio effœminatorum est etiam effœminata. Quædam vera: ut, vita humana multis miserijs & calamitati



## Exercitationes.

bus subiecta est. Quædam superlata: vt, nulla detestabilior pestis, quàm lingua. Hæc satis de sententiarum distributione.

## Sententiæ tractatio.

Sententia octo capitibus tractari solet: laude, expolitione, causa, cōtrario, simili, exemplo, testimonio veterum, breui epilogo. Sententiam vnã in medio constituamus, vt ex eius tractatione, ad reliquas sententiarum formas pertractandas, cuiuscunque illæ generis sint, omnis eloquentiæ candidatis aperiatur ianua.

## Argumentum.

Non decet principem, qui subditorum rationibus prospicere debeat totas noctes dormire.

A laude sententiæ.

Tota



Ota Homeri poësis  
multis ac varijs senten-  
tijs, ceu gēmis fulgenti-  
bus resperīa est, quibus

mortalium animi ad om-  
ne decus & honestatem inflammari  
possint, & à vitiorum tyrannide libe-  
rari, qua nulla durior seruitus à barba-  
ris gentibus, efferatis, humanūque san-  
guinem sitientibus, vllis vnquam tem-  
poribus excogitata est. Illa tamen reli-  
quis omnibus præluceat, qua dixit: nō  
decere principē, qui debeat subditorū  
opportunitatibus consulere, integras  
noctes dormire.

### Ab expositione

Qva significauit diuin⁹ ille poëta,  
vigilantiā his hominib⁹ necessariā  
esse, q̄ summū in alios imperiū & prin-  
cipatū tenēt: quiq; volūt regna suæ cu-  
ræ fideiq; cōmissa, præclaris & legibus

Exercitationes  
& institutis temperare.

A causa.

**N**Am quâ fieri potest, vt qui moderandis rerum publicarum gubernaculis admoueat, ea possit cum salute & incolumitate ciuium manibus pertractare, nisi perpetuò vigilet, & in statione quadam imperatoria sibi permanendum esse ducat?

A contrario.

**S**I priuatus aliquis, qui tantum sibi ipsi natus est, in vtrâque aurem totos dies & noctes otiosus dormiret, quo pacto tolerabilis esset eius hominis oscitantia, at verò quis possit tantæ rei indignitatem patienti animo sustinere, vt qui tantam negotiorum molem humeris impositam teneat, profûdo veterno cõsopitus torpescat? neque vllis eorum clamoribus excitetur, qui  
se ip



se ipsos eius voluntati subdiderunt, & in eiusdem obsequium ac reuerentiam solenni sacramento coniurarunt? Nō potest ea respublica diutius constare, quæ ab inerti, ignauo, & somniculoso principe gubernetur.

### A simili.

**Q**uemadmodum nauium gubernatores, siue magnis tempestatibus & turbinibus agitetur mare, siue tranquillum pacatumque sit, soli cæteris dormientibus vigilant: ne propter ignauitiam aut socordiam suam, in eos scopulos deducantur, in quibus necesse sit aut vitæ, aut fortunarum miserrimum naufragium facere: sic oportet imperatores, qui supremam in cæteros potestatem dominatumque tenent, pro communi omnium salute sollicitos esse, ne si tantisper obdormiscere incipiant, magnis seditionibus tumultuetur respublica, aut de rerum summa periclitetur ciues.

Exercitationes.

Ab exemplo.

**E** Paminondas clarissimus Thebano  
 rú imperator, cum Thebani ciues  
 festis quibusdã diebus, licentiùs quàm  
 parerat, crapulæ & comestationibus  
 indulgerent, ac sese totos corporeis ad  
 dicerent voluptatibus, solus vigil ac so-  
 brius arma oculis diligenter perlustra-  
 bat: muros & firmissima vrbis præsi-  
 dia circumibat. Rogatus cur id faceret  
 respondit: se frugalẽ esse, & inuigilare,  
 quò reliquis liceret vinolentos esse, ac  
 dormire. Vergilius Aeneam suum vi-  
 gilantem facit: Homerus suum Aga-  
 memnonem fingit cogitabundũ, & de  
 futuris rerum euentibus consulentem.  
 Quibus exẽplis docemur, nihil magis  
 eos decẽre, qui clauũ imperij moderan-  
 tur, quàm si omni excusso torpore, o-  
 mnibus naturæ blãdimẽtis repudiatis,  
 tota eorum cogitatio ad vigilias, lucu-  
 brationes, & suorum curã traducatur.

## A veterum testimonio

**I**D visus est philosophorum grauissi-  
mus Plato, tertio de legibus libro cō-  
probasse, cūm dixit: magistratus in vr-  
bibus noctu vigilantes, hostibus terro-  
ri esse: ex eorum verò incuria & sopo-  
re, manifestum vniuersis ciuibus peri-  
culum creari.

## Epilogus breuis.

**H**abet igitur superior sententia vti-  
lem satis & salubrē exhortationē  
vt qui curam aliorum susceperunt, per-  
petuas agant excubias: ne si iniuncto si-  
bi muneri & præfecturæ indormiant,  
eam suis nominibus infamię labem af-  
pergant, quam reliqua deinceps vita  
eludere non possint.

## Tertia exercitatio gram-

matica de Chria.

Tertia



## Exercitationes



Ter tia grammaticorū exercitatio chria est, de qua paulò fusiore stylo differemus, quòd ita priuatas scholas & gymnasia peruaserit, vt in re nulla alia frequētius quàm in Chrijs componendis, scholasticorum industria desudare soleat. Est autem Chria, utilis commemoratio, alicuius personæ dictum, aut factum, vel vtrunque breuiter demonstrans. Dicta Chria, quòd maximè sit utilis & necessaria: Chria enim & vsū et necessitatem significat. Ex finitione colligere licet, tres esse Chriarum formas: nam aliæ verbales sunt, aliæ actiuæ, aliæ mixtæ. Verbales sunt, quæ verbis tantùm continentur, & utilitatem sola oratione demonstrant: vt, Isocrates dicebat doctrinæ radicem amaram esse, fructus verò dulces. Actiuæ, quæ actione constant, & factum insignis alicuius personæ solùm recensent: cuius generis est illa. Pythagoras interrogatus

gatus

gatus quanta esset hominum vita, cum breui se spatio cōspiciendum exhibuisset, postea se abscondit, breuitatem vitæ conspectu illo momentaneo metus. Mixtæ, quæ ex vtrisque conflatae sunt, oratione, & actione: qualis est illa Diogenis, qui die quodam cum populus theatro egrederetur, aduersus populum ingredi nitens, subiecit: hoc in omni vita facere studeo. Sensit hoc facto & dicto, philosophū à populo maximè disidere: cum philosophus ratione ducatur, populus verò in cōtrarias cupiditates, sibi que ipsis aduersantes rapiatur sine freno. Ex his constare potest differentia inter sententiam & Chriam: nam sententia semper in oratione consistit, Chria verò interdum in actione. Præterea sententia sine vlla effertur persona, chria semper habet adiunctam personam. De his factis multa.

### Chriæ tractatio.

Con

## Exercitationes

**C**onficitur Chria eisdem locis, quibus sententia: laude autoris, expositione, causa, contrario, simili, exemplo, veterum testimonio, epologo breui. Fraetemus tria illa Chriarum genera, tamque verbo, quam quae facta, aut verbo & facta mixtim continentur: ut habeat iuuetus plures formas, quas possit imitari, ut indies magis in eloquentiae studijs progrediatur.

### Exemplum verbalis Chriae.

#### Argumentum.

Plato dicere solitus est, virtutis ramos è laboribus atque sudoribus produci.

#### A laudatione autoris.

**Q**uisquis Platonis scripta paulò accuratiùs euoluerit, inueniet ea tam grauibus esse sententijs referta, quibus hominum vita ad virtutis regulam instrui formarique possit, ut non immeritò philosopho-



Iosophorū deus à veteribus illis fuerit habitus, & non linguæ solūm, sed animi etiā atque honestatis magister iudicatus. Verūm inter alia eius dicta, nō vulgari laude & prædicatione celebrāda, mihi vnū illud in primis placuit, quo virtutis ramos è laboribus atque sudoribus nasci testatus est.

### Ab expositione.

**C**Vius quidem sententiæ nulla cōmodior est interpretatio, quā neminē posse sine multis vigilijs & antelucanis lucubrationibus, ad virtutis fastigiū cōscendere: quā plurimis laborib⁹ mercandā dij mortalibus proposuere.

### A causa.

**N**Am ita natura cōparatū cernimus vt difficilia sint, quæ pulchra: neque quicquā in quo sit aliquod honoris, gloriæ, & immortalitatis momentū, sine maximis molestiis & difficultatibus acquiri posse, videatur.

A con-

## Exercitationes.

### A contrario.

**C**ontrà quæ mala sunt, & ad inficiendos mortalium animos, peruertendaque eorum ingenia prauis opinionibus excogitata, passim obuia esse solêt, & quocunque mētē cogitationēque deflexeris, occurfare. Quàm facilè nobis, quibuslibet simus negotijs & impedimentis implicati, se se offerunt libido, auaritia, ambitio, iracundia, vindicandæ iniuriæ cupiditas, & cætera huiusmodi labe, quibus humanæ mentes natiuum decus & splendore deperdunt, & varijs erroribus cæcatæ in vniuersa turpitudinum genera præcipiti impelluntur furore?

### A simili.

**Q**uemadmodum terra agricolis nihil laborantibus, ex se se citra ullam arationem vepres, dumos, lolium, & spi-

& spinosiora alia herbarū genera producit, quæ nulli mortalibus vsui esse possunt: at verò ager non aratus semel sed nouatus & iteratus, multaquæ agrī colarum diligentia & industria excultus, varios multiplicesque fructus fundit, ad vitam hominū sustentādā proximè necessarios: sic furta, sacrilegia rapinæ, adulteria, stupra, incestus, per iuria, & quæcunque alia vitiorū genera, sese solent sua sponte hominum peccatoribus ingerere: virtus verò, & quæ sunt cum omni officio & honestate cōiuncta, non nisi plurimis exhaustis laboribus comparantur.

### Ab exemplo.

**H**ercules nunquam summum illius honoris & gloriæ splendorem, nunquam virtutis & magnanimitatis opinionem, nullis annorum spatijs inter morituram consecutus fuisset, nisi tot ac tam varia perdomuisset monstra, &c.



## Exercitationes.

vniversum terrarum orbem nefarijs  
& confceleratis hominibus expurgas-  
set. Vnde factū est, vt propter res do-  
mi militiae que præclare gestas, propter  
beneficia in omnes gentes & nationes,  
sine vilo discrimine collocata, in cele-  
lestium numerum ascriptus fuerit, &  
tanquam communis libertatis vindex  
& assertor celebratus. Quid memorē  
Scipiones, Aemilios, Metellos, Camil-  
los, & reliquos id genus imperatores,  
ex præclaris facinoribus nobilitatos?  
quorum nomina in obscuro iacuissēt,  
nisi se ipsos diuturnis laboribus perfre-  
gissent, & actis de hostibus triumphis,  
egregia dedissent suæ virtutis & forti-  
tudinis documenta.

### A veterum testimonio.

**Q** Videnim aliud significare voluit  
Hesiodus, cū dixit, facilem esse  
ac breuem vitiorum viam, virtutis ve-  
rò longam, difficilem, in lubrico & an-  
cipiti

cipiti loco cōstitutam, & laboribus omni ex parte atque sudoribus circumseptam? Quid litera illa Pythagorica in duos veluti calles diuisa, quorū alter principio asperos habet aditus, suaues verò fines, alteri latissimus & fatis spatiosus introitus est, exitus autem angustus, & in præcipiti quadam sede collocatus? Quid duplex illa apud inferos via, ex poëtarum fabulis & fictionibus peruulgata, quarū altera ad campos duceret Elysios, altera ad tormentorum & dolorum carnificinam?

### Epilogus.

**Q**Vare cū præsens diuini Platonis vox tot habeat patronos & fautores, totque sit exemplis, ac veterum testimonijs comprobata, dignissima profectò est, vt crebris gentium omnium sermonibus vsurpetur, & tanquam vitæ instituendæ exemplar

Exercitationes  
cunctis ante oculos proponatur.

Chriæ actiuę exemplum.

Argumentum.

Pythagoras interrogatus  
quanta esset hominũ vita, cum per mo-  
mentum temporis apparuisset,  
statim se subduxit.

Ab autoris præconio.



Pythagoras ille Sa-  
mius præstanti sa-  
pientia & nobilita-  
te philosopho, cum  
ingenti perdiscen-  
dæ philosophiæ de-  
siderio teneretur,  
in Aegyptum nauigauit, vt illorum  
theologiam, mores, ritus, ceremonias  
que cognosceret. Deinde cum in A-  
strologiæ chaldaicęque disciplinæ stu-  
dium exardesceret, Babylonē sese con-  
tulit: vbi astrorum in omni æternitate

ratos



ratos immutabilesque cursus, velocissimos ab ortu ad occasum cœlorum motus edoctus est. Tandem cum eam Italiæ partem, quæ magna olim græcia dicta est, tenuisset, philosophiam coepit numerosa auditorum frequentia profiteri, & populos rerum omnium luxuria diffuentes ad sobrium frugalemque cultum reuocare. Cuius tanta fuit in his regionibus admiratio, ut & mulieres eius innocentia, moderatione, sanctimonia, viteque seueritate inductæ, auratas vestes, & reliqua ornamenta, in quibus aliqua mollities aut effœminatio appareret, in templo Iunonis consecrarent, & cum tandem post obitum diuinis honoribus prosequerentur. Inter alia verò eius gesta, que ad humanam vitam saluberrimis præceptis & adhortationibus erudiendam, plurimum utilitatis attulerunt, illud cum primis video constanti grauissimorum hominum sermone celebrari, cum rogatus quàm diuturna esset mortalium vita,

## Exercitationes

per punctū temporis apparuit, & cōtinuò se ex hominū cōspectu subduxit.

### Ab interpretatione.

**Q**Vo vno facto docere voluit præstantissimus philosophus, nihil esse humana vita fragilius, nihil fugacius, nihil inanius: & eius tam breuem esse cursum, vt vix dum è carceribus prodierit, quando ad extremam metam peruenerit.

### A causa.

**N**Am cum homo ex varijs & capitaliter dissidentibus elemētis cōstet, quæ inter se domesticas similitates, & plus quàm intestinas inimicitias perpetuò gerant, necessariò fit, vt citissimè corrumpatur, neque diu stare posse videatur. Quam rem cum veteres illi attentius considerarent, vitas hominum bullis similes esse dixerunt: quarū aliæ simul atque natæ sunt, protinus euanescunt: aliæ paulò diutiùs durant: omnes  
aliæ

alię alijs, breuissimis quibusdam interuallis succedūt. Alij mortaliū vitā, nō diē vnū, sed tēporis punctū, alij vmbre somniū, aut fumū vmbre appellauerūt. Qui oēs, licet varijs simulachris et imaginib<sup>9</sup>, breuitatē vitæ cū fragilitate & imbecillitate quadam cōiunctam, præsignificare voluerūt. Vnde nō possum Thraciū illū morē nō debitis laudibus celebrare, q̄ in lucē editos multis lachrymis, mortuos verò cōiuiis & tripudijs p̄sequēbātur: quòd alteri ad innumerabiles misērias & calamitates nascerētur, alteri verò iā fuissēt omnib<sup>9</sup> vitę laborib<sup>9</sup> et discrimenib<sup>9</sup> p̄fecti.

### A contrario

Vitę breuissimis quibusdem spatiis & limitibus circūscriptæ cōtraria mors est, quæ his omnibus malis & periculis finē affert, quibus humanū genus anxīū, sollicitum, & infestū esse solet. Hęc igitur cū tam sit prolīxa, & per tot seculorū eternitates p̄cedatur,



## Exercitationes

nobis multò vigilantius contendendū est, vt hanc tantam vitæ breuitatem rebus præclarè gestis cõsolemur: ne laus nostra emori possit, aut ex hominum mentibus euanescere.

### A simili.

**Q**uemadmodum rosa quo tempore florere cœpit, omni amissa viriditate senescit, & mox interit: & fumus vixdum apparuit, cùm iam in quandã inanitatem conuersus est: sic est hominum vita, in ipso exorsu finitur, & eisdem, è quibus formata fuerat, cineribus inuoluitur.

### Ab exemplo.

**S**ed quid ego rem præsentẽ subiectis exemplis confirmẽ, cùm re ipsa experiamur, hoc mortale corpusculum sexcentis morborum generibus quoti die infestari: nec pauciores solere casus

& repentinos euentus incidere, ruinas, venena, naufragia, terræmotus, lapsus, fulmina, grandines, nimbos, turbines procellas prælia, & quid non? Quibus rebus omnibus illud accidere passim videmus, vt vix cœperit homo cõmuni hac & iucundissima luce perfrui, quando in ipso vitæ exordio, vitæ filum parcarum manibus abrumpatur.

### A testimonio veterum.

**Q**uam rem grauissimo Sophoclis in Aiace testimonio firmatam video, cùm dixit: nos quo quot viuimus nihil aliud esse, præterquàm simulachra, aut leuissimam quãdam vmbra. Cui sententiæ Homerus accessit, cùm Iliados sexto vitam caducis arborum folijs comparauit, quæ in ipso primo flore natuum illum succum & vigorem amiserunt.

## Exercitationes.

### Epilogus.

**C**VM igitur hoc præstantissimi Pythagoræ factū sūmam esse humanæ vitæ imbecillitatem declarauerit, idque nos quotidianis experimentis verum & certū esse cognoscamus, super est, vt in eius amplificanda dignitate totos contendamus neruos: atque ideo Pythagoram appellatū esse credamus, quòd veritatē perinde atque Pythius ipse Apollo loqueretur. Curemus etiam modis omnibus in hoc tam breui vitæ curriculo memoriam nostri ad posteros transfundere: neque vitam in silentio & taciturnitate traducamus, sed nos aliquando vixisse testatum futuris hominibus relinquamus.

Exemplum verbalis & acti-  
uæ Christi. Argumentum.

Diogenes cū aliquādo puerū vidisset lasciuientem eius pædagogum



gum baculo percussit, dicēs, cur hæc doces?

### Ab autoris cōmendatione.

**D**logenes ille, qui quòd perditis hominum moribus adlatraret, & sua tēpora innumeris vitiorum generibus corrupta, nimia mordacitate infectaretur, cognomēto Cynicus appellatus est, multa dum viueret, & dixit, & fecit, quæ eorū monumentis percelebrata sunt, qui philosophorū vitas sempiternæ posteritatis memorię cōsecrarūt. Verūm inter vniuersa eius dicta aut facta, nullū maioribus quasi theatris ad laudē & prædicationē proponendū est quàm cū puerū luxuriantē vidisset, & eius pædagogum baculo percussit, dicens: cur hæc doces?

### Ab expositione

**Q**uo dicto & facto monstrare voluit, in eos pædagogos durius animaduertendū esse, qui alūnos suę fidei  
& vi

## Exercitationes.

& vigilantia commisso, malis moribus, deprauatisque opinionibus corrupti sinunt, cum discipulorum delicta in magistros & tenellæ ætatis formatores transfundi soleant.

## A causa.

**N**AM cum ita sit vitæ naturæque nostræ ratio comparata, ut ad vitia, quam ad virtutes proniores simus: ego eum pædagogum seuerissima suppliciorum acerbitate puniendum, omnibus omnium linguis, & conuijs lacessendum esse iudico, qui cum totus in hanc curam & cogitationem incumbat, ut puer vnguentis affluens, calamistrata coma, bene composito vestitu, apta membrorum totius corporis cõformatione, in oculis totius ciuitatis versetur, & ut in mensa, non sinistra sed dextera potiùs manu cibos capiat, ne turpi aut fædo aliquo spectaculo ministrantium vultus à se auertat:

non illud maiore curat sollicitudine,  
 vt bonam imbibat disciplinam: gene-  
 ronis moribus instruatur: in omni pu-  
 doris, verecundiæ, pudicitiaë contem-  
 platione exerceatur: cum ea quæ teneris  
 adhuc & rudibus annis percipiuntur,  
 tenacissimè adherere soleant: & quæ in  
 prauū obduruerunt, fragili citiùs quàm  
 corrigi aut emendari possint,

### A contrario.

**C**ontrà boni pædagogi, & de recte  
 institutionis munere sibi inuicto  
 solliciti, quorū vita nullis est turpitudi-  
 num fordibus inquinata, nullis obtre-  
 ctatorum calumnijs aut reprehensionibus  
 obnoxia, digni sunt, vt amplissimis  
 honoribus & præmijs decorètur,  
 & vt illis victus quotidianus in Pry-  
 taneo publicè præbeatur. Ex quorum  
 numero fuerunt Chiron, & Phænix.  
 Achilles: quorum alter Achillem ip-  
 sum ad omnia summa natum virgis  
 cæde



Exercitationes.

*Ilia d. 9.*

cadere, durisque verberibus afficere non dubitabat, ne à patria auitaq; gloria tantisper degenerasse videretur: alter verò (vt est apud Homerũ) Achilles educationi à Peleo præfectus est, vt ei dicendi pariter ac facienti ductor & magister foret. His accedunt Linus Hercules, Lysias Epaminondas, Pherecydes Pythagore, Aristoteles Alexandri, Plutarchus Traiani: qui omnes priscis annalibus nobilitati sunt, quòd ita suos alunos instituerint, vt nihil illis quicquam siue animi magnitudinẽ, siue cõsummatam vtriusq; philosophiæ cognitionem, siue perfectã iustitiæ & equitatis regulã spectes, defuisse videatur.

A simili.

Quemadmodũ qui mollissimam ceram inter digitos tractant, digni sunt dentata omnium oratione lacerrari, si cum possint in ea ad arbitriũ suũ cicures & mansuetas bestias efformare,

re, malint feras & immanes imprimere: sic qui dociles puerorum animos, & ad omnem disciplinam flexibiles instituant, non poterunt seuerissimæ reprehensionis aculeos effugere, nisi eorum mentibus suauissimarum virtutû doctrinam instillent, quibus ipsorû vita omnibus grata ac periucunda cõtingat, ne tenera illa ætas discat vitiorû tyrannide iam inde à primoribus annis efferari.

### Ab exemplo.

Socrates in pupillum suum clementior, quàm par erat, fuisse culpatur, quòd nimia indulgentia, ac mollis educatio, soleat omnes animi & corporis neruos elidere. Quintilianus propter adolefcētû suorû temeritatem, quæ nullo rationis frëno gubernari posset, apud omnes malè audit. Seneca Neronis sui culpa detrahētîû linguis foedissimè p̄scindit. Ea est enim rerû humanarû in felicitas, vt mala multò facilius in alios, quàm

## Exercitationes

quàm bona transfiliant, & conuictor  
quandam veluti moram scabiem suo  
affricet conuictori.

### A testimonio veterum.

**H**Oc Platonis autoritate libro de le-  
gibus secundo stabilitum video, cum  
dixit: qui cum prauis improborum ho-  
minum moribus conflictatur, iam in  
de suam ipsius malitiam somniare. Hoc  
idem Plutarchus in commentario de  
ratione dignoscendi verum amicum ab  
a iulatore, probasse visus est, cum scri-  
bit tantam habere vim assiduam consue-  
tudinem, ut imprudetes etiam eorum  
vitia, quibus cum viuimus, imitemur.

### Epilogus.

**C**Vrent igitur parentes suos filios  
his paedagogis & institutoribus eru-  
diendos tradere, à quibus possint ho-  
nestos



nestos mores & bonas literas perdisce  
 re, non perditis quibusdam nebuloni-  
 bus, & perniciosis iuuetutis corrupto-  
 ribus, qui cum vilissimo tantum lucro  
 intenti sint, & ab omni genere doctri-  
 narum & studiorum auersi, nihil præ-  
 ter efferuescentem pecuniarum cupidi-  
 tatem, nihil præter infantiam & rerum  
 omnium ignorationem tradere suis a-  
 lumnis & auditoribus possunt. Quod  
 idem cum Diogenes dicto & facto do-  
 cuerit, dignus est, ut in eius decantandis  
 laudibus omnis rhetorum eloquentia  
 exerceatur.

#### Quarta exercitatio grāmati- ca de Ethopœia.



Quarta grammaticis iniun-  
 cta exercitatio est Ethopœ-  
 ia, quam alij Ethologiam, a-  
 lij mimesim, alij allocutio-  
 nem appellant, latinè mo-  
 rum effictionem sonat. Est autè expref-  
 sio morum personæ subiectæ: hoc est,

H quan

## Exercitationes

quando personæ alicuius mores & ingenium exprimimus, siue imitamur. id autem triplici ratione contingere potest: aut enim mores tantum imitamur, & hæc est Ethopœia, quæ cum personam habeat notam, mores solum effingit: ut, quibus verbis uti potuit Andromache Hectore mortuo. Aut personæ idolum & simulachrum fingimus, & est Idolopœia: cum scilicet introducitur persona nota, sed mortua, & quæ loqui iam desierit: sicut apud Euripidem, in Hecuba, Polydori introducitur idolum. Aut finguntur omnia, & mores & personæ, & est Protopœia: cum scilicet alicui rei contra naturam datur loquendi persona: ut Cicero patriæ & reipublicæ, in inuectiuis dat verba. Observabis præterea triplicem esse Ethopœiã: est enim alia passiva, alia moralis, alia mixta. Passiva, in qua passio, id est, commiseratio perpetua inducitur: ut, qualia verba Hecuba faceret subuersa Troia.

Ad

Ad quã pertinent concitati & turbulenti affectus, qui solêt audientiũ animos vehemēter cõcutere. Moralis, quę mores solos depingit: vt, quibus verbis vti potuisset rusticus, cum primũ nauim aspexit. Mixta, quę mores habet pariter & affectũ: vt, quibus verbis vteretur Achilles super occiso Patroclo, cũ pugnare decreuisset. Habet enim affectũ de amico occiso, habet etiã mores Achillis de bello cogitãtis. Priscianus in præexercitamentis, facit alias Ethopœias simplices, alias duplices: simplices quidẽ, quãdo supponitur aliquis, qui tacitus secũ loquatur: vt, quibus verbis vti potuisset Scipio, cũ à Carthagine victor reuerteretur: duplices verò, quãdo ad alios loquitur: vt, qualia verba faceret Scipio ad exercitũ parta victoria. Alias finitas, infinitas alias: infinitæ sunt, in quibus nulla est personarum designatio: vt, quibus verbis vti potuisset aliquis ad suos profecturus à patria. Finitæ, quę certis per



## Exercitationes

sonis circūscriptę sunt: vt, quibus verbis Achilles Deidamiā alloqueretur, ad bellum Troianum profecturus.

### Ethopœiæ tractatio.

**S**Olet autē Ethopœia pro capitibus, tribus tractari temporibus, præfenti, præterito, & futuro. In præfenti instātis fortunæ permutatio, ærumnæ, calamitates, & infortunia, quibus affligimur, recensentur. In præterito nostra incommoda cum eorum miserijs conferuntur, qui nos ætate antecesserunt. In futuro, rerum euentus, malorum fines adducuntur, vel consilia, quibus tātis malis & calamitatibus remedium a liquod aut leuamentum afferrī possit. Ethopœia verò tractāda est genere dicendi dilucido, breui, florido, disiucto omni flexu atq; figura remota. Est etiā ubiq; & temporum & personarū seruanda proprietates: nam alia verba lasciuientem iuuenem, alia senescentem hominem decent: alia tripudiantem præ

gaudio, alia mœrore & tristitia confectum, alia ignaum & imbellem, alia fortem, strenuum & bellicosum militem, aut imperatorem. Nos vnâ aut duas Ethopœias tractemus, ex quibus eloquentiæ studiosus adolescens exemplum sumat, quanam ratione debeat in huiusmodi Ethopœijs exerceri.

Ethopœiarum exempla.  
argumentum.

Quenam dixerit Cornelia  
Pompeij vxor postquã audisset vi-  
ctum à Cæsare Pompeium  
maritum suum.

A presenti.



Me mulierum omniũ,  
quæ hodie in terris vi-  
uunt, miserrimam & in-  
felicissimam. O vicem  
nostrã profusis omniũ  
lachrymis, & publico ciuium luctu ac

Exercitationes

gemitibus deplorandam. O miserabilem vitæ nostræ conditionem, quæ tot undiq; malorum & miseriarum turbinibus obiecta est. Nunc tandem re ipsa experior infelix, tam varium & mutabile esse ingenium fortunæ, ut eodem statu & loco consistere nesciat, sed quibus exitium & extremam pestem molitur, his prius noua rerum prosperitate blandiatur. Scipionis Metelli clarissimi ciuis filia, Pompeij potentissimi principis vxor, formosissimi filij mater, tot sum in omnes partes calamitatibus iactata, ut neq; mente aut tacita cogitatione concipi, neq; vllis verbis aut oratione exprimi possint. Ego ne illa sum, quæ solebam per omnes vrbes Romæ pagos, per vicos, per plateas popose incedere, numerosis satellitum & ancillarum gregibus stipata? Quæ in totius ciuitatis oculis & clarissima luce versabar? Quam colebant omnes, suspiciebāt, & religioso venerabantur cultu? Cæsar de Pópeio cōiuge triūphauit?

Plutar  
chus in  
Pompeio.



uit? Cæsar de Pópeio? Mulieres etiam Romanæ de nobis in posterû triûphû agent, cùm nulla erit quę solitos nobis deferat honores, aut debita reuerentia prosequatur.

### A præterito.

**V**Tinam hoc tantum beneficij fuisset à dijs immortalibus collatum, ne nasci mihi vnquã cõtigisset, aut nata, ante Publij Crafsi obitum, cui viridis spósa fui, vitam iucundissimam amississem. Tunc tunc mori post illum debui, (quod vnum mihi fuit magno pere in optatis) nec Pópeio magno, vt inferior fierem, referuari. Non est, Pópei, tuę, sed nostrę potiùs fortunę opus, vna te tantùm naui, eaq; aliena & cõmodata deportari, qui ante Cornelie nuptias quingëtis nauibus hoc adnauigare pelagus solebas. Et qui per annos quadraginta cõtinnos vincere ac subigere omnia cõsueuisti, nũc post tot triû

## Exercitationes

phos, post tot celebres victorias, post tot clarissimam trophæam, cogaris cum summa nominis & vitæ antea actæ turpitudine de fuga cōsultare, ne tyranni vultus tibi necessariò aspiciendus sit. Lufit in multis fœminis Romanis casus, verùm in nulla magis, quam in me: quæ cum in alto fastigio, amplissimo gradu dignitatis locata essem, nunc iniuriosis vilissimarum etiam muliercularum vocibus, & opprobrijs subiecta ero.

## A futuro.

Sed cessent lachrymæ, quæ cum nihil profint, solent incidentes calamitates exacerbare, & subitos ac repentinos ictus multò grauiores efficere. Precemur potiùs deos, deasq; omnes, vt nos ex his tantis malis eripiant, ne in hostiles manus incidamus, & præter familiæ dedecus & ruinam, nostræ pudicitie aliqua respergatur labes, quæ nulla temporis insequentis diuturnitate va

te vanescere, neq; vllis manibus elui,  
aut aboleri possit.

### Aliud argumentum.

Qualia verba faceret aua-  
rus, suis omnib<sup>9</sup> thesauris per fur-  
tum & latrociniū expoliatus.

A præsentī.



Vccurrite populares, popu-  
lares succurrite, nam mul-  
ta mihi euenerunt incom-  
moda, quæ meum pectus  
grauiter exulcerarunt: & quæ nisi ve-  
stra omnium ope et præsidio, minimè  
sanari possint. Nocturnus nescio quis  
fur in nostras inuasit fortunas: & cùm  
occultos insidiarum laqueos tetendit-  
set, omnes abstulit loculos multo au-  
ro & argento plenos, in quibus o-  
mnis nostra spes, fiducia, cogitatio in-  
fixa erat. Omne mihi gaudium, omnis  
voluptas, omnis deniq; vitæ iucundi-



Exercitationes

tas erepta est. Solus me dolor assiduus  
 excruciat, intestinus mceror cōsumit,  
 perpetuæ lachrymæ conficiunt: quas  
 ego omnes molestias solo pecuniarum  
 aspectu, quæ furto surreptę sunt, depel-  
 lere solebam. Nunc iam nihil mihi mi-  
 fero, & mortalium omnium infelicissi-  
 mo reliquum est remedij, nisi suspen-  
 dio arbor deligenda, aut vncus iugulo  
 transfigendus.

A præterito.

**Q**Vum florentissimis abundabam  
 fortunis plurimos habebam mea-  
 rum omnium cupiditatū ministros,  
 & libidinis satellites: omnia mihi ad  
 manū abundè suppetebant: multi ami-  
 corum greges nostro inhærebant late-  
 ri, de explendis votis nostris & desido-  
 rijs solliciti. Si quid fortè peccassem,  
 nullus erat qui mihi vitio verteret, nul-  
 lus qui probro daret, sed omnes potius  
 turpissima quęq; nostris opibus & opu-  
 lētis cōditionibus licere arbitrabātur.

Nunc

Nūc verò (proh dolor) omni sum amicorum præsidio orbatus, & postquam ad paupertatē redactus sum, nullus est inuentus qui calamitosæ nostræ fortunæ aliquid solatiij aut leuationis attulerit. Nunc fero pretium stultitiæ & temeritatis meæ, & qui paulò antè omnia diuitijs postponebam, cunctorum dentibus demorsus ac vehementer impetitus, omnibus posthabeor.

A futuro.

§ Cio quid faciam, mortem mihi consciscam volūtariā: præstat enim honestè mori, quàm ignominiosè viuere. Quis enim homo ingenuè & liberaliter institutus citius mortē millies nō oppetat, quàm in summo omnium contemptu & ludibrio esse patiatur? Præsertim cùm interitus malorū omnium extremū sit, & certus quidā infortuniorū & calamitatum terminus. Sic poterit q̄ voluerit plures alias Ethopœias cōponere: illud tamen diligēter obseruabit, vt in fingēda persona, talis sit  
 ipsius

## Exercitationes.

ipsius oratio, qualis esset eius, quem sibi imitandum proposuit. Et hæc de grãmaticorum exercitationibus satis nũc ad eas festinemus, quæ rhetorum propriæ sunt, quæq; in eloquentiæ gymnasijs ab studiosa iuuentute tractari soleant.

### Rhetorica progymnasmata.

#### Primum progymnasma rhetoricum de narratione.



Arratio est expositio rei gestæ, vel tãquam gestæ. Rei gestæ, vt negotiorum ciuiliũ, & historiarum. Tanquam gestæ, vt fabularum.

Ita vt non tantũ narratio ad negotia ciuilia quæ ab oratore tractantur, sed ad historias etiam & fabulas referatur.

Ex



Ex finitione colliguntur tria genera narrationis: poeticum, historicum, oratorium: quæ ex triplici fine narrationis promanant. Nam narratio fieri solet, vel ut voluptate aliqua audientium auribus lenocinium faciamus: vel ut rem ipsam cuiusmodi sit explicemus: vel ut fidem alicui rei alteri queramus. Primum sequuntur poetæ, qui solam audientium voluptatem spectant: cui ut inferuiant, vera an falsa, probabilia an incredibilia dicant, nihil sua referre putant. Proximum sequuntur historiographi, qui fastos et egregia virorum excellentium facinora memorie posteritatis mandarunt. Hi primam omnium veritatem conseruantur, posterior voluptatis cura esse debet, si velint rem potius stabilem, & nullo ævo interitura conficere, quam breuem aliquam gratiam, & ventosam populi celebritatem aucupari. Est enim historia, ut Ciceroni libro de oratore secundo placet, testis temporum, lux veritatis, vita memoriam

## Exercitationes.

20  
moriæ, magistra vitæ, nūtia vetustatis.  
Tertium sequūtur oratores, qui nō fa-  
tis esse putāt vera esse quę exponūt, sed  
& firma, & ad id, cui probando desti-  
nantur, ita accōmodata, vt capita fidei  
faciendæ, cōfirmandarumq; rerum in  
de possint depromi : quoniam in nar-  
ratione semina quædam probationum  
sparguntur ab oratoribus, ex quibus  
hauriuntur argumenta, quibus persua-  
dere auditoribus contendunt.

## Virtutes narrationis.

**T**Res sunt narrationis virtutes ex  
cōmuni rhetorum sentētia; vt bre-  
uis, vt dilucida, vt verisimilis. Breuis,  
quò faciliùs memoria teneri possit; di-  
lucida, quò sine multo negotio aut o-  
pera intelligatur : verisimilis, vt fidē  
mereatur. Quidā electorū verborū p-  
prietatē addiderūt: verūm hæc sub per-  
spicuitate cōprehendēda est. Cicero in  
partitione oratoria iucundā etiā facit  
narrationem: verūm iucūditas nō nar-  
rationi

rationi tantum, sed reliquis etiam orationis partibus est communis: quemadmodum sanguis per vniuersa corporis membra diffusus est. Breuis erit narratio, si nihil habeat superuacanei: si rei demonstrandę initia altius nõ repeta-  
mus: si res ipsas ad extremos vsq; fines nõ persequamur. Dilucida, si verbis v-  
tamur proprijs & significantibus, atq; v-  
sitatis: si rebus, personis, temporibus, locis, causis, ita fuerit distincta, vt nihil cõfundat: postremò si nõ fuerit in-  
terrupta. Nam verba impropria & inu-  
sitata obscurant narrationem. narratio autẽ obscura totam obcæcat orationẽ.  
Verisimilis erit, si factum cum perso-  
na, loco, tẽpore, causa, & modo cõsen-  
tiat: aliò qui ineptum sit fanẽ, fraudes  
tribuere Aristidi, aut stupiditatẽ vul-  
pi: aut eo tẽpore secundũ fuisse bellum  
punicũ, quò Romulus prima iacere  
vrbis fundamenta. His summatim ex-  
plicatis, exponamus necesse est, quo pa-  
cto possit narratio omnis dilatari.

Narra-



## Narrationis dilatatio.

**C**ONSTAT narrationis dilatatio sex capitibus: ea sunt, persona faciēs, res gesta, tempus circa quod, locus in quo transacta, modus quo pacto, causa propter quam. Hæc autem sequenti versiculo cōprehensa sunt. Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quādo. Quis personam indicat, quid rem, vbi locum, cur causam, quomodo modū, quando tempus: auxilia ad modum reducuntur: nam si describas modū, quo quis rem aliquam turpem designauerit, dicere necessariò debeas, an solus id patrauerit, an alios in societatem eiusdem sceleris aduocauerit. Fit enim copiosa narratio, si huiusmodi circumstantijs amplificata fuerit: & quo tempore, quo loco, quo modo, quo instrumēto, qua denique causa factum aliquid sit, diligenter persequaris.

Exem-

Exemplum narrationis poë  
tica de Medea.

**M**edea Acetæ Colchorû regis filia  
amatorijs facibus incensa, Iasonē  
thessalum, qui Colchos ad rapiendum  
vellus aureum cum delecta fortissimo  
rum iuuenum manu profectus fuerat,  
adamauit. Quæ cum duos ex Iasone fi  
lios suscepisset, & se violata conjugij  
fide repudiatam, Creusam in sui locū  
suffectam videret, in eas furias exarsit,  
vt die quodam proprios filios in locis  
vastis & solitarijs, in quibus relicta fue  
rat, districto pugione interfecerit, vt  
iniuriam sibi à perfidioso Iasone illa  
tam vlcisceretur. Cum audis Medeam  
carissima transfigentem pignora, per  
sonam facientem & rem gestam intel  
lige. Cum diem, tempus. Cum locorū  
vastitatem, locū. Cum pugionem, mo  
dum. Cum id factum ad vindicandam  
iniuriam, causam percipe, propter  
I quam

## Exercitationes.

quam ad patranda[m] tanti sceleris atrocitate[m] impulsa fuerit. Vides hanc narrationem sex illis locis constare, quibus omnis dilatar[i] solet expositio. Sic tu poteris optime lector, quanlibet conficere narrationem, siue ea historica, siue ciuilis sit, nam nos ad alia festinato[m] properamus, in quibus possimus maiorem eloquentiæ lucem explicare. Propones tamē tibi ad imitationē, Cicero[n]is narrationes pro Sextio Roscio Amirino & Milone, quæ ex his omnib[us] locis et capitib[us] elegātissimē cōflate sūt.

### Secundū progymnasma

rhetoricum

#### De refutatione.

**R**efutatio, quam alij restructionem, improbationem, reprehensionem, opus destruendi appellant, est rei alicuius propositæ euersio. Sūt autē euertenda, nō quæ planè vera sunt, vt omnes homines mortalitatis legib[us] subiectos esse: nec quæ planè falsa, vt muta ani-  
mantia



mãtia voces humanas edere: sed quę in opinione posita sunt, & de quibus oratio possit in vtranq; partē detorqueri: vt, si confutes Antipodas esse: Arionē delphino vectū: filiū manus paterno sanguine respersisse. Huius autem exercitationis vsus & in iudicijs & in senatu apprimè necessarius est: ac propterea ad debitam eius tractationē, omnia rhetoricæ artis instrumēta vsurpanda sunt: cūm tota spes vincendi ratioq; persuadendi, in cōfirmatione & confutatione posita sit. Nam si ea, quę nobis adiumento sunt, exposuerimus, & contraria fuerint industrię nostrę præsidio labefactata, iam muneri oratorio cumulatè satisfecerimus.

### Loci refutationis.

**C**onstat autē omnis refutatio locis nouis: exordio reprehensorio, expositione, obscuro, incredibili, impossibili, nō coherēte, indecoro, inutili, epilogo. Qui ita disponēdi sūt, vt refutationis

## Exercitationes.

vis semper gradibus quibusdā excre-  
scat: vt prius doceas, id quod refellas fa-  
ctum non fuisse: deinde non esse verifi-  
mile: postremò fieri non potuisse. Se-  
cus enim languesceret oratio, & in me-  
dio reprehensionis cursu exanimata in-  
termoreretur. Verùm quia aliqua ex  
his capitibus possent eloquentiæ can-  
didatis aliquid negotij facessere, ea pla-  
cuit interpretari, ne illis in re perquā  
necessaria nostra opera defuisse videa-  
tur. In exordio reprehensorio licebit  
eius, qui rē aliquam affirmauerit, stul-  
titiā acriter & acerbè reprehendere:  
eiusdem mores, ingenium, educationē,  
genus, vitia etiam corporis, probris  
omnibus & maledictis insectari. In ex-  
positione mentem atque animum eius  
exquiremus: cur scilicet ita sentiat. In  
obscurō rē incertam esse dicemus: vt,  
incertum est tempus, quo vixerit Nar-  
cissus. Incredible existimatur, quod  
est contra opinionem, maximè perito-  
rum hominum: contra consuetudinē:

contra

contra historiam: & quod circumstan-  
tijs personæ loci, temporis, causæ, vi-  
deatur omni ex parte repugnare: vt, in-  
credibile est Cadmum in serpentē fuif-  
se conuersum, & Nioben in saxa. Im-  
possibile naturæ aduersatur, neq; cor-  
poris, fortunæ, aut ingenij viribus fie-  
ri potest: vt impossibile erat Arionem  
à Delphino seruari. Non cohærens si-  
ue non consequens, aut contrarium, ex  
duabus conficitur sententijs: cùm vna  
fieri aut consequi negamus, id quod af-  
firmatur ab altera: vt, hæc inter se co-  
hærentia non sunt, vt is qui se pro li-  
bertate seruanda dijs manibus deuoue-  
rit, libertatem perdere voluerit. Inde-  
corum id est, quod conditionem & di-  
gnitatem personæ non decet: quod le-  
gibus & moribus ciuitatis nõ cõgruit:  
quod pietatem erga deos & homines  
violat: quod dedecus & ignominiam  
affert, & malam apud plerosque mor-  
tales existimationem: vt, indecens erat  
Apollinem, cùm in deorum numero



Exercitationes

haberetur, voluisse virgini stuprum in  
ferre. Inutile siue incommodum illud  
est, ex quo nihil aut utilitatis aut ho-  
noris redundare potest: vt, cum dici-  
mus, nihil prodesse ad hæc delirantiũ  
somnia & commentitias fabellas au-  
res applicuisse. Nunc iam refutationẽ  
ex suis capitibus amplificemus.

Refutationis exemplum,

Argumentum.

Vana esse, nec verisimilia  
quæ de Orpheo fabulantur poëtæ.

Exordium.

 Vltia priscais illis  
temporibus poëtæ  
cõfinerũt, quæ di-  
gna sũt, vt crebris  
gentium omnium  
sermonib<sup>9</sup> vellicẽ-  
tur, & in quæ vnus-  
quisq; debeat acerrimẽ reprehẽsionis

virus euomere, forasq; proijcere, cum ad nullam vtilitatem, aut corruptæ & vitiosæ naturæ emendationem, sed ad solam potius aurium voluptatem, & iucundos quosdam motus in sensibus excitandos excogitata fuisse videantur. Quo in genere ea ego reponēda existimo, quæ de Orpheo, fabulosis suorum scriptorū narrationibus posteris prodiderunt.

### Expositio.

**O**Rpheus, inquiūt, Calliopes musæ & Apollinis fuit filius, cui cū Mercurius lyrā nuper à se repertā tradidisset, ea tantum valuit, vt chordarum cōcentu, & suauissimi cantus amœnitate posset rapidissimos fluminū cursus frenare, feras immanesq; bestias blandis carminibus mansuefacere, sylvas è proprijs sedibus natiuisq; radicibus euellere. Et cūm Eurydice nymp̄ha quam sibi in uxorem arctissimè conuinxerat, diē quadam secus ripas Hebricum

## Exercitationes.

Dryadibus spatiaretur, pede serpentē inter herbas latitantē presit, qui cū eam centum voluminibus implicuisset, venenatis moribus interemit. Orpheus igitur tanto affectus malo, & tam graui atque insanabili accepta plaga ad inferos descendit, vbi tam dulciter cantare cœpit, vt vmbas infinito gaudio & voluptate perfuderit, in obliuionē pœnarum, quibus ab immanissimis tyrannis seuerissimè torquebantur, induxerit: & tandem hoc vnū impetrauerit, vt sibi carissima Eurydice, quā deperditè amabat, restitueretur.

## Ab obscuro.

**Q**uod commētum cū tam sit obscurum, & tantis tamque profundis tenebris inuolutum, nullus etsi omnibus affluat eloquentiæ diuitis per spicuum aut planum fecerit homini rationis participi, & qui teretes habeat aures intelligensque iudiciū. Est enim



res tã omni ex parte implicata, vt nulla oratoriæ dictionis facultate illustrari queat: tam intellectu difficilis, vt ab hominibus etiam magno excellentiq; ingenio florentibus vix percipi posse videatur.

### Ab incredibili.

**Q**uis enim credat Orphei lyram tantum habuisse virtutis, vt spumosos aquarum vortices retinere, arbores radicitus excidere, bestiarũ immanium feritatem domare, & duros illos atque inexorabiles inferorum animos placare & emollire potuerit? Præfertim cùm hæc omnia ea natura prædita sint, vt musicos illos concentus & nervorum harmoniam percipere non possint, neq; ad luctuosas mortalium voces aut lamentationes, tantisper commoueri.

### Ab impossibili.

## Exercitationes

**F**eri profectò nulla ratione potuit, ut arbores & flumina, quæ natura omni auditu priuata sunt, ad Orphei musicam stupescere exultauerint. Quòd si mutæ animates aures habeant, illæ tamen hebetes sunt, & obtusæ ad huiusmodi sonos per flexuosos auricularum sinus percipiendos. Quid quòd postquam quis semel ad inferna illa loca detrusus est, liber illi exitus non datur, neque vlla tanta pecuniarum vis est, quæ ipsum possit à crudelissimis carnificibus, immanissimisque tortoribus redimere.

## A non cohærente.

**F**erit, estò, Orpheus celebris musicus, & ab eo qui lyram inuenerit, si dibus institutus, quæ tamen hæc cohære possunt inter se, ut à rebus surdis, & omni audiendi sensu orbatis suauissimus ille cætus percipi potuerit? Cùm aures idèò sint in alta corporum parte  
collo

collocatæ, vt sonum, qui natura in-  
 blime fertur, recipiant, neq; odore vl-  
 lo, non tactu, nõ sapore, nõ oculis, sed  
 solo auditu sentiri possit.

### Ab indecoro.

**Q**uid indecorum magis, quàm for-  
 didatum Orpheum, & Eurydicem  
 sibi raptâ multis lachrymis, suspirijs,  
 gemitibus deploratam, tam dulces nu-  
 meros ad harmoniam cecinisse? Quid  
 minùs ad rerum ipsarum naturam qua-  
 drauerit, quàm truculētissimas bestias  
 à natia rabie & ferocia ad mansuetu-  
 dinem fuisse traductas, & innato furo-  
 re deposito, colla Orphei manibus tra-  
 ctandâ subiecisse?

### Ab inutili.

**Q**uæ cū mera sint insomniâ, & ani-  
 mularū deliramentis similia, nihilq;  
 affe-





## Exercitationes

afferant utilitatis ad mentes hominū  
excolendas, animo satis consequi non  
possum, quorsum ea fuerint veterum  
libris & monumentis prodita, nisi ut  
qui talia confinxerunt, vani & menda  
ces habeantur.

## Epilogus.

**S**ed iam sit finis, ne videar in re tam  
clara, tam omnibus testata, pluribus  
quàm necesse fuerit, verbis uti: præfer  
tim cum vel pueris elementarijs notū  
sit, ea omnia ficta & commentitia esse,  
quæ de Orpheo poëtarum fabulis tra  
duntur.

## Aliud refutationis exemplū.

### Argumentum.

Falsum esse quod Gellius  
de amatore Delphino scri  
pserit libro. 7. cap. 8.

### Exordium.

Veritas



Veritas prima est hī  
 storiæ lex, à qua si  
 tātisper abhorreat,  
 digna est, vt omni-  
 bus contumeliarū  
 & maledictorum  
 aculeis interpunga-  
 tur, neque vllus sit qui in eam libera  
 dicacitate non debacchetur. Quare vi-  
 tuperandus est Gellius in eo, quod de  
 amatore Delphino scriptum reliquit,  
 cū omnes veritatis & fidei cācellos  
 prætergressus fuisse videatur.

### Expositio.

**D**elphinus, inquit, venerens est &  
 amasius, neque ea solū amat, que  
 sui generis sunt, sed pueros etiam inge-  
 nua & liberali forma, in nauiculis for-  
 tē, aut vadis littorum conspectos depe-  
 rire vehementer solet. Cū puer qui  
 dam formosulus ad horam diei certā  
 per maris Putcolani littora spatiani cō-  
 sueuis.

## Exercitationes.

fueuisset, Delphinus accurrit velocissimus, illiq; coepit miris & humanis gestibus arridere. Et cum easdem littoris partes per dies aliquot frequetasset puer, ecce aduolabat Delphinus, ut pulcherrima sui amasi, facie perfrueretur & in eius vultu contemplando, visum vel ad punctum temporis oblectaret. Fortè accidit, ut puer graui conflictatus morbo moreretur, naturæq; legibus satisfaceret. At Delphinus amoris stimulis & veneris furoribus agitatus, ubi sæpius ad littus solitū adnataffet, & puer nusquam apparuisset, desiderio contabuit, exanimatusq; est: & cum in littore mortuus iaceret, ab his qui rem omnem attentius obseruarant, in sui pueri sepulchro tumulatus est.

## Ab obscuro.

**C**VI, obsecro, clarum & apertū videri poterit, Delphinum ex omninatatantium genere velocissimum, tam arden.



ardentes flammæ concipere potuisse,  
 vt puerum tam deperditè amaret, aut  
 tantam ex formæ dignitate & lineamē  
 torum cōformatione voluptatem cœ-  
 pisse, vt in eius vultu & oculis acquie-  
 sceret: aut ita vitam ex vno puero te-  
 nuisse suspensam, vt eo mortuo, eodem  
 ipse momento temporis moreretur?

Ab incredibili.

**Q**uis vnquam tam credulus fuerit,  
 aut verba sibi dari tã facile patia-  
 tur, vt p̄suasum habere possit, Delphi-  
 nos eisdem, quibus homines, affectibus  
 concuti; aut eorū sensus, eisdē quibus  
 humani solent; voluptatibus titillari?  
 Præsertim cum rationis & intelligen-  
 tiæ expertes sint, neque possint in tam  
 bruta natura vllis externis imagini-  
 bus commoueri.

Ab impossibili.

**Q**uid quòd fieri nō potuit, vt Del-  
 phinus aquarū profunditatibus in-  
 natus

## Exercitationes

natus, & eisdem perpetuò viuere assue-  
tus, per ripas extra locum natiuum va-  
garetur. Sic enim parens rerù omniù  
natura dispensauit, vt hominum vita  
in aquis, piscium verò in terris, cele-  
rius quàm quisquã excogitare possit,  
finiatur.

## A non cohærente.

**T**Acco hæc inter se congruere, aut  
quadrare non posse, vt Delphinus  
ex genere piscium vnus, tam cæcus at-  
que amens libidinoso furore in homi-  
nem ferretur: cùm ita sit animantium  
omnium natura comparata, vt vnum-  
quodq; in sui simile præcipiti quodam  
impetu rapiatur: neq; vlla vnquam se-  
cula viderint, aut pisces hominù, aut  
homines pisciù amoribus implicatos.

## Ab indecoro.

**Q**Vid historiographum magis de-  
deceat non video, quàm huiusmo-  
di

di mendaciâ confingere, quibus nulla fides habeatur, cum illud philosophorum omnium loquantur monumenta, eorum ipsorum quæ aspectu sentiuntur, nullum aliud animal, præter hominem, pulchritudinem, venustatem, ordinem, aut convenientiam partium sentire.

### Ab inutili.

**Q**Uæ otiosorum hominum figmenta cum nihil habeant ad mores formandos emolumentum, miror quid Gellium impulerit, ea scriptis suis tradere, quæ vana sunt, & ad libidines adolescentulorum excitandas accommodata.

### Epilogus.

**S**ed desinam plura de rebus vanissimis verba facere, ne in eandem, inquam Gellius, videar vanitatem incidisse.

K

Tertium



Exercitationes.

Tertiū progymnasma rhetor-  
icum.

De confirmatione



Confirmatio, quæ alio nomine dicitur asseueratio, est rei propositæ comprobatio. Ea verò confirmari debet, quæ neq; planè vera sunt, vt homines esse rationis participes, neque omnino fide carent, vt homines volare, sed quæ ancipitem habent opinionem, & in hanc & illam partem trahi possunt, vt si cõfirmes vera esse, quæ Vergilius de Didone scripta reliquerit, quòd scilicet amoris impatientia sibi ipsi mortẽ consciuerit. Hæc etiã exercitatio nervos omnes desiderat oratorios, cùm in ea totũ rhetorices opificiũ constitutũ sit.

Loci confirmationis.


Constat confirmationis tractatio locis nouem, refutationis capitibus  
contra

contrarijs, exordio, expositione, dilucido, verisimili, possibili, cohærente, decete, vtili, epilogo. Placuit eadem illa superiora exépla de Orpheo & Dophino confirmare, vt inde iuuentus eloquentiæ studijs intenta ad quodlibet argumétum indiuerfas partes versandum manu ueluti ducatur.

### Confirmationis exemplum.

Vera esse, quæ de Orpheo prodita sunt à poëtis.

### Exordium à dicentis laude.

 Visquis poëtarû scripta vituperat, is mihi sanè dignº videtur, in quẽ ceteri ocs suę mordacitatis aculeos exacuât, cum in genº hominû sanetû inuehat, qui diuino quodã furore & inflãmatione cõcitati præclara poëmata cecinerû, in quibº recõdita naturæ et morû sacraméta delitescût. Inter

## Exercitationes

alios verò qui laudem ex fabulis meruerunt, ille non minori præconio de prædicandus est, qui quæ de Orpheo posteritati tradita sunt confinxit.

## Expositio.

**O**Rpheus, inquit, musicus Thracius cum Eurydice dulcissima sibi uxore, quamque in summis habebat delicijs, orbatus esset, suam viduitatem ac solitudinem fidibus consolabatur, quas tanta faciebat suavitate digitorum pulsu resonare, ut nervorum harmonia truces horribilesque, feras cicures efficeret, & ex natiua immanitate ad mansuetudinem traduceret, velocissimos aquarum impetus tardaret, arbores ab imis euelleret stirpibus, & tandem tetram, crudelem, nefariam inferorum tyrannidem emolliuerit.

## A dilucido.

**O**Rpheus hic viuam & expressam imaginem viri eloquentis representat,



sentat: & quis modò erit, tã obtuso ingenio, tã rerũ omnium inscius atq; ignarus, qui planè non intelligat hæc omnia ab hominibus eloquentiæ præsidio munitis fieri potuisse? Nã cum homines olim belluarum more passim per agros vagarentur, & vitã agerent ferinam, seipos mutuis vulneribus ac cædibus interfodientes, hi suavi quadam & calamistrata oratione persuasos in vnum locum congregarunt, ex feris & immanibus mites reddiderunt ac mansuetos, turpissimis diffuentes voluptatibus represserunt, postremò inexorabiles eorum animos & sæuitiam quandam ac crudelitatem spumantes viribus eloquentiæ perdomuerunt.

### A verisimili.

**Q**uid, quæso, magis probabile, & cum similitudine veri coniunctum, quàm id eloquentiæ tribuere, quæ ita in mortaliũ animis semper dominata

## Exercitationes.

est, vt possit ciuium cœtus tenêre suspê-  
sos, mentes pellicere, voluntates im-  
pellere quò velit, vnde autê velit, de-  
ducere, & ad diuersas vitæ rationes su-  
bitò conuertere?

## A possibili.

**H**Æc autem omnia à facundis ho-  
minibus fieri potuisse, nullus aude-  
bit inficiari, qui tacitus secum confide-  
rauerit, tantam esse eloquentiæ poten-  
tiam, vt in vno Hegesia philosopho  
Cyrenaico tantum valuerit, vt sic vni-  
uersa humanæ vitæ incommoda, mise-  
rias, calamitates dicêdo repræsenteret,  
vt luctuosa ac miserabili eorum imagi-  
ne audientium pectoribus inserta, mul-  
tis voluntariæ mortis appetendæ cupi-  
ditatem ingeneraret, donec à rege Pto-  
lemeo vlteriùs hac de re differere pro-  
hibitus est. Quid de Marco Antonio  
dicã, qui Marianos Cinnanosq; mu-  
crones ciuilem sanguinem sitientes ita

*Valerius  
Max. lib.  
8. cap. 9.*

oratio

orationis suauitate compressit, vt missi à fœuissimis ducibus milites ad eum obtruncandum, sermonem eius admirati, districtos iam gladios & ipsius ceruicibus impendentes vaginis recõdiderint incruentos. Si autem hæc, quæ videntur esse grauiora, multoq; plus habere admirationis, præstare potuit eloquentia, quantò igitur facilius fuit, dispersos homines intra vna mœnia congregare, à fera agrestiq; vita ad humanum cultum ciuilemq; deducere, aut iam constitutis ciuitatibus leges, iudicia, iura describere?

### A coherente.

**Q**uid? quòd illa plurimùm inter se consentiunt, vt quando hoc vno præstamus vel maximè feris, quòd colloquimur inter nos, & exprimere dicendo sensa possumus, orationis instrumento, quod vtile sit atq; honestum alijs hominibus persuadere valeamus?



## Exercitationes

Nihil est enim ad flectendas hominum voluntates efficacius, nihil magis iucundum cognitu atq; auditu, quàm sapientissimis sententijs, grauibusq; verbis ornata oratio & perpolita.

### A decenti.

**N**ihil potuit à poëtis fingi, quod magis eloquentes homines deceret, quàm si cùm præclari essent verborum artifices & architecti, possët suauis quodam dicendi genere homines à vitijs deterrere, & ad pacem, concordiam, legum obseruantiam, rerum publicarum institutionem, saluberrimis monitis & consilijs adhortari.

### Ab utili.

**Q**uod si præsentis fabulæ nulla maior esset commoditas, illa tamen satis magna, vt intelligant omnes in eloquentia, & artificiosa oratione plurimum

rimum esse positū momenti ad animos  
permouendos, et alienas voluntates ex  
nutu & arbitrio nostro fingendas.

### Epilogus.

**D**igni sunt igitur cōmēdatione poë  
tæ, qui primi commenti sunt, fe-  
ras ab Orpheo chordarum concinni-  
tate perdomitas fuisse.


### Aliud cōfirmationis exēplū

#### Argumentum.

Vera esse quę de amasio Del  
phino scripta sunt à Gellio lib.

7. capit. 8.

### Exordium ab autoris laude.

 **V**m multa scripserit Gel-  
li<sup>o</sup> ex sanctissimis illis anti-  
quitatis fontibus hausta at-  
que delibata, quę ad rerum  
naturas explicandas non parum con-

K 5 ducere

## Exercitationes

ducere videantur, quæque studiosis hominibus ad depellendam ex animis ignorantem multo vsui esse possint, illud tamen longè pluris æstimandum est, quòd de amatore Delphino annalium monumentis mãdauit, quod qui ausus fuerit mendacij aut falsitatis nota reprehendere, ille mihi videbitur ex scelere & malitia factus, & ad inferendam eruditis hominibus iniuriam natus, eorumq; honori ignominiaẽ semperiternę maculam aspergendam.

## Expositio.

**C**VM Delphinus quidã, inquit, puerulum excellenti specie & pulchritudine in littore inambulanti inspexisset, coepit totus in eius amores vehementer exardescere, tandem cum puer fuisset ex medio hominum conuictu, & communi vitæ consuetudine mortis violentia sublatus, nec Delphinus iam sui amasij formositate perfrucere



frueretur, præ doloris acerbitate & magnitudine mortuus est, & eisdem cum puero sepulturæ cineribus humatus.

### A manifesto.

**E**T quis ignorat, nisi planè in re clara & manifesta cecutiat, placidissimos Delphinos hominum amoribus solere capi, & amicissimo vehendi studio eosdem ascensores patienter ferre? Nam & Athenæus refert puerum quendam Dionysium nomine dilectum à Delphino fuisse, qui cum in mari, vnà cum alijs ex palæstra reuersus, natasset, continuò natanti illi Delphinus ex pelago occurrit, & dorso susceptum permultum natans spatium, in pelagi profundum deportauit, mox rursus continenti restituit. Et Herodotus scribit Arionem summum fidicinem à Delphino fuisse in terram Laonicam Ta-

Lib. 13.  
cap. 30.

Lib. 1.

na-

## Exercitationes

narum usque deuectum, dum se ex nau  
ui in mare precipitem dedisset, & insi  
diosos nautas effugeret, qui. præter grã  
dem pecuniæ suppilationem, atrocissi  
mum ipsi mortis genus inferre molie  
bãtur. Pausanias prætereà memorat,  
Delphinum Melicertam in mare cadẽ  
tem suscepisse, & usq; ad Corinthia  
cum Isthmum vectauisse. Plinius etiã  
naturalis historię libro nono, capite  
oçtauo narrat, in Iasso vrbe Carix fuis  
se puerum quẽdam, cuius amore cap  
tus Delphinus, dum abeuntem in lit  
tus auidiùs sequitur, in arenã inuectus  
expirauit.

Lib. i.

### A credibili.

**A**T qui non verisimile est, inquit,  
Delphinos omni cognitionis & in  
telligentiæ præsidio destitutos, hisce  
blandis affectibus emolliri, amoris flã  
mas & incendia intra præcordia con  
cipe-

cipere. Sed ignorant infatissimi homines, multa etiam animalia rationis expertia, præter Delphinos, extitisse, quæ homines adamarint. Nam & gallus, ut Athenæus scriptum reliquit, Secundum quendam Nicomedis Bithyniæ regis pincernam deperiuit. Anser puerum Amphilochum nomine amauit. Pappus in Leucadia tanto ardore ferebatur in virginem, ut cum ea fuisset mortua, ipse etiam interierit. Elephas singulari amore puerum est persecutus. Nam cum illi Indi cuiusdam mulier ministraret, quæ filium vberibus lactabat, qui tum trigessimum diem agebat, mortua muliere, miro quodam amore pueri bellua capta fuit, neque enim seorsum esse ab infante patiebatur, ac nisi eum videret, molestè ferebat admodum. Cum igitur nutrix infantem ipsum lacte futurauisset, illum inter pedes feræ in scapha quadam ponere consueuerat, quod nisi fecisset, elephas pabulum capere nolebat, præsentem verò puero, per totum

Lib. 13.

capit. 30.



Exercitationes

rum diem calamis sibi appositis vesce-  
 batur. Cùm dormiret infans, muscas  
 abigebat, vbi verò lugeret, scapham  
 promuscide motabat, vt dulcissimo  
 cōsopiretur fomno. Aelianus libro de  
 historia animalium septimo, capite qua-  
 dragesimo primo narrat, taurum, e-  
 quum, ceruum ita Mithridatem Pon-  
 ticum adamasse, vt ad eius dormien-  
 tis custodiã armatis satellitib<sup>9</sup> similes  
 aduigilarent: quòd si quis in cubiculũ  
 ingredi attentaret, celeriter ipsum ex-  
 respiratione sentiebant, atque ille mu-  
 gitu, alter hinnitu, alius sua propria  
 voce Mithridatẽ è fomno excitabant.

Cur igitur à fide alienum videatur  
 tur, & Delphinos, eisdẽ, quibus  
 cætera animantia, amori-  
 bus implicari po-  
 tuisse?

**Aposibili.**

Hoc

**H**Oc autem fieri potuisse, intelliget  
 facilè, qui ex veterum scriptorũ  
 monumentis Delphinorum naturam  
 habuerit exploratam, quæ cum huma  
 na plurimum habet similitudinis &  
 coniunctionis. Est enim Delphinus *Plinius ll.*  
 hominis amicum animal, ex musico *9 cap. 8.*  
 concentu & harmonia, multa solet vo  
 luptate & oblectatione permulceri, ho  
 minem nõ expauescit vt alienum, sed  
 ad eius occursum quasi titillatio quædã  
 sensibus adhibetur: pro voce est illi ge  
 mitus humano similis: obuam nauigijs  
 venit, & ad ea cõspecta gestire &  
 exultare cõsuevit, & cum illis natãdo  
 de velocitate contendere. Diuo Au  
 gusto principe, Lucrinum lacum in  
 uectus Delphinus, pauperis cuiusdam  
 puerum Baijs Puteolos in ludum li  
 terarium itantem miro amore dile  
 xit. Solebat autem puer Delphi  
 num, quem Simonis nomine appel  
 labat, fragmentis panis ad se sæ  
 pius allicere, ita vt quocunque diei tẽ  
 pore

Exercitationes.

pore inclamatus à puero, quanuis occultus atq; abditus, ex imo aduolaret, ac postquam è manu pueri pastus fuisset, præbebat ascensuro dorsum, pennæ aculeos velut vagina condens, receptumq; Puteolos per magnum æquor in ludum ferebat. Simili modo reuehens pluribus annis, donec morbo extincto puero, subinde ad cõsuetum locum ventitans tristis & mœrenti similis, ipse quoque (quod nemo dubitauit) desiderio expirauit. Aelian<sup>9</sup> libro de animalium historia sexto, capite quarto decimo memorat, Delphini amores erga formosum puerum ad Iasum urbem celebres, & priscorum voluminibus decantatos fuisse. Nam cùm gymnasium, vbi pubes Iassia exerceri solita esset, mari adiaceret, post multum cursum & sudorem ad mare peruenientes antiquo more lauari consuetudinis fuit. Ex numerosa verò natâtium multitudine ad vnum aliquem formæ pulchritudine, & partium corporis conuenien



uenientia præstantem Delphinus accurrens. primò exterruit puerum, post verò assiduo vsu frequètiq; tractatione, ita vterque alterius amore captus est, vt modò adnates inter se certarèt, modò puer, tanquam eques pullum, sic in Delphinum subnatantem ascenderet, & audaciùs exultans in amasio sederet: quod quidem Iassensibus eorum que hospiti bus nouum, admirabile, & stupendù spectaculum præbebat. Enim verò Delphinus, puerum amores & delicias suas vehens, longissimè per mare procedebat, atq; adeò si puero insidenti placeret, longiùs etiam progrediebatur. Deinde ex alto reuertens eundem illum littori reddebat, et Delphinus in maris altitudinem, puer in domù suam discedebat. Cùm verò aliquãdo puer permulta cum æqualibus cursitatione defatigat⁹ esset, supra dorsum Delphini se ipsù temerè iniecit, neq; animaduertit spinam dorsu erectam, horrentè & aculeatam esse. Cuius acuminibus

Exercitationes

cū eius umbilicus exulceratus esset, factum est, vt venæ quædam abrumperentur, & ex multa sanguinis profusione, extremum spiritum effunderet. Cū id Delphinus partim ex pondere sensisset, (non enim tam leuis & expeditus vt antea insidebat) partim ex mari, quod multo imbutum sanguine cernebat, vt nauis remigatione & plenis velis propulsa, sic simul cum defuncto seipsum in littus multo furore & impetu coniecit, amboq; humi strati iacuerunt exanimés. Iassenses ciues vt ardentissimum eorum amorē pari honoris & gloriæ amplitudine compensarent, sepulchri monumentum formoso puero & Delphino amatori cōmune constituerunt: statuam erexerunt in publico, quæ forma eximia puerum in Delphini dorso sedentem haberet, atque etiam numismata ex ære atq; argēto fecerunt, eorum imaginibus impressis, ne tanti miraculi memoria vllis seculorum myriadibus interiret.

## A coherente.

**C**um igitur Delphinus in morem hominum musicas leges, & lyricos strepitus perferat, cum voces edat humanis gemitibus per similes, cum ad hominis presentiam gestiat, tripudiet, & inusitata perfundatur voluptate, nonne hæc inter se mirifice consentiunt, ut Delphinus, præter cæteras animantes puerorum amoribus inflammetur?

## A decoro.

**Q**uid magis Delphinum decere possit, non video, quam ut hominem amet, cum quo tantum habeat maximis in rebus cognationis, amicitiae, & similitudinis vinculum, & quæ in referenda gratia imitari potissimum soleat, ne in accepto beneficio remetiendo, parum gratum aut inofficiosum esse videatur. Testimonio sit Caran<sup>9</sup> ille Milesi<sup>9</sup>, quæ narrat

Lib. 13.  
cap. 30.



## Exercitationes.

Athenęus, cum piscatores vidisset Delphinum in retibus cepisse, eumq; esse occisuros, dato argento quod pactus fuerat, in pelagus eum rursus dimisisse. Cum postea naufragium perpeffus fuisset, omnesque reliqui periissent, solus Cæranus à Delphino fuit seruatus. Cum tandem mortuus esset in patria propter senectutem, & cadauer fortè secundum maris ripas efferretur, multitudo ingens Delphinorum eo die in portu conspecta est, quæ parum ab his aberat, qui Cæranum gestabant, quasi simul virum efferrent, vnaq; ad sepulturam comitarentur.

### Ab vtili.

**Q**uod si ex presentis historiae narratione nulla maior vtilitas nobis adiungeretur, illa tamen satis esset magna, vt discamus homines diligere, & aduersus eos apertum humanitatis & beneuolentiæ specimen exhibere, quã

do eos videamus ab animantibus rationis expertibus adamari.

### Epilogus.

**N**on est igitur quòd quisquam Gellium reprehendat, aut in eundem audeat vituperationis & maledicentiae aculeos emittere, quòd scriptum posteris reliquerit, amasios esse Delphinos, & venercos, cum eo nomine potius sit omnium gentium linguis deprædicandus.

### Quartum progymnasma rhetoricum

#### De loco communi.

**L**ocus communis est oratio, quæ bona aut mala alicui rei aut personæ existentiæ amplificat.

Nam per locum communem orator augere solet virtutes, quæ bonis, vel crimina, quæ sceleratis insunt. Ut si quem virum iustum commendes, lo

## Exercitationes

cus erit communis, explicare quāta & quā  
 praeclara virtus iustitia sit, quae  
 facinorosos homines & turpissimis cu-  
 piditatibus constrictos à peccatorū for-  
 dibus suppliciorū seueritate deterrere  
 solet, & communitatis otio ac trāquil-  
 litati summo studio & vigilantia pro-  
 spicere. Præterea si quem prudentem es-  
 se affirmes, locus communis erit, ver-  
 bis exaggerare, quantum momenti in  
 prudentia positum sit ad vniuersas vi-  
 tæ actiones, sine qua mortalium animi  
 innumeris passim implicarentur erro-  
 ribus. Cōtrā si quem ingratum esse cō-  
 tendas, erit ille locus communis, si di-  
 xeris, quā inuidiosa, & dijs atq; ho-  
 minibus detestabilis ingratitude sit,  
 quae tantum abest, vt accepta beneficia  
 plenione manu remetiat, vt ne debi-  
 tam quidem gratiam persoluat. Item si  
 in libidinosum inueharis, dicēs per lo-  
 cum communem, quanta mala ac de-  
 trimenta importare soleat homini-  
 bus libido, cum primū scortato-  
res



res esse cœperint, & meretricijs amori-  
bus volutari.

Hi autem loci quanquam proprii  
causarum & inherentes in earû neruis  
esse debent, tamen quia de vniuersa re  
tractari solent, communes à veteribus  
nominati sunt. Oratio enim in ebrium  
vinolentis omnibus, qui nocturnam at  
que diurnam crapulam olêt, aptari po-  
test. Item quæ in auarum habetur ora-  
tio, in eos omnes transferri potest, qui  
non dubitant sui commodi causa alteri  
nocere, & aliorum spolijs suas faculta-  
tes, copias, opes, fortunas amplifica-  
re.

Illud postremò obseruabis, hos lo-  
cos solere frequentiùs in genus demõ-  
stratiuum & deliberatiuum incidere,  
nonnunquam etiam in iudiciale. Sunt  
autem adhibendi, aut postquã laudes a-  
licuius amplificaueris, aut postquam  
crimina multiplici arguementorum  
& probationum genere confirmaue-  
ris: alioqui ieiuni sunt & inanes, atq;

+8  
Exercitationes

prorsus inutiles. Extulerit quis clemē-  
 tiam & humanitatem quantum dicen-  
 do consequi possit, nihil hoc princi-  
 pi proderit, nisi eum clementem & hu-  
 manum esse ostenderit. Auxerit prodi-  
 tionis crimē in immensum, nihil hoc  
 reo nocebit, nisi planum fecerit, illum  
 proditorem fuisse. Hauriuntur autem  
 potissimūm è quatuor fontibus, pri-  
 mūm ab omnibus virtutum vitiorum  
 que generibus, vt si quem de liberali-  
 tate ac beneficentia commendes, exag-  
 gerabis quā plausibilis & popularis  
 virtus liberalitas sit, quā proximē  
 ad diuinā naturā accedat, cui propriū  
 sit miseris & calamitosis hominibus  
 manum porrigere, & iacentem eorū  
 conditionem bene factorum magnitu-  
 dine subleuare. Deinde à contrariis,  
 vt si ab impudicitia vituperatione ca-  
 stitatem laudes. Mox à sententijs, vt si  
 quem velis à sumēda vindicta deterre-  
 re, adduces sententias ex optimis auto-  
 ribus ad id propositum destinatas. Po-  
 stremò

stremò à communi vita, idest, ab his  
 quæ vulgò dicuntur, aut accidunt: vt  
 facilis offensa, reconciliatio difficilis.  
 Ama tanquam osurus, oderis tanquam  
 amaturus. Nihil tam citò perit, quàm  
 quod confertur in ingratum. Optimù  
 senectutis viaticum eruditio, & reli-  
 qua id genus. Hæc de locis communi  
 bus, quatum ad præsens negotium spe-  
 ctat, satis: nam si vellemus singula mi-  
 nutatim persequi, nullum esset dispu-  
 tatio nostra modum habitura.

### Tractatio loci cōmunis.

**C**onstat tractatio loci cōmunis tre-  
 decim capitibus, exordio, contra-  
 rio, expositione amplificatoria, com-  
 paratione, sententia, digressionem con-  
 iecturali, misericordiæ exclusionem, le-  
 gitimo, iusto, utili, possibili, honesto,  
 euentu. Iam nos vnum aut alterum lo-  
 cum communem dilatemus, vt ad ean-  
 dem normam possit qui voluerit & re-



**liquos pertractare.****Exemplum loci communis**  
in adultores.**Exordium.**

Vanquam mortales omnes, qui se ita ad liberè peccandū iam inde ab annis puerilibus compararunt, vt omnis eorū vita scēdissimis sceleribus cooperta sit, seuerissimis pœnis et plagis afficiendi sunt, nulli tamen maiore suppliciorum acerbitate puniri debent, quàm adultores: quorum maleficio contingit, vt homines suos errores agnoscere non possint, sed in media potiùs rerum luce cœcutiant, & cum summa dedecoris & infamiæ nota halucinentur.

**A contrario.**

Nul-

**N**illum est præstantius beneficium  
 à dijs immortalibus in hominibus  
 positum, quàm veritas, quæ honorũ  
 omnium mater est: hæc obnubilat & cæ-  
 cat adulatio, quæ cum tota ex scelere  
 & fraude conflata sit, mendaciorum o-  
 mnium & simulationum fons est & o-  
 rigo.

### Ab expositione ampli- ficatoria.

**Q**uis, quæso, ex omni perditissimo-  
 rum ciuium colluue, perniciosus  
 magis esse potest, quàm is, qui ita se in  
 aliorum consuetudinẽ penitus immer-  
 git, vt animorum aciem blanditijs qui-  
 busdã & assentationibus perstringat,  
 ne veritatis splendore intueri possint.  
 Quis exitiosus magis, quàm is, qui vitio-  
 si obscœnitatẽ pulcherrimarũ virtutũ  
 nominib⁹ honestare cõtẽdit? Quis ma-  
 gis impi⁹, nefarius, ac sacrilegus, quàm  
 qui cum deorũ delubris vastitatẽ, pri-

## Exercitationes

uatis ædibus exitiū, coniugibus & carissimis pignoribus cædē, agris & publicis operibus depopulationē attulit, hoc vnū agit, vt illa omnia suo beneficio & vigilantia conseruata esse videantur?

### A comparatione.

**A** Dulatoribus fures & sicarij longo anteponendi sunt spatio, nam hi vnus aut alterius fortunas compilant, aut in summa rerū necessariarū inopia & mēdicitate constituti vnus alicuius corpus occidunt: adulatores verò, qui ad alterius non modò sensum ac voluntatem, sed etiam vultum atq; natū cōuertuntur, præcipuū hominis bonum, rationem scilicet atq; prudentiam deprædantur, & mentem, in qua aperta species & imago diuinitatis splēdescit interficiunt.

### A sententia.

Quòd



**Q**Uòd si inuit peccasset assentator, excusationem aliquã aut prætextum habere posset eius malitia, nunc verò cùm cogitatò peccet, & omnis eius sententia eò conferatur, vt blanda quadam & fucata oratione locupletiorum colligat beneuolentiam, & dũ ventri inseruiat, & sine symbolo comefsetur, nullam habeat boni aut honesti rationem, venia digna nõ est eius insania, cùm id maleficiũ sua sponte susceperit, & sibi ipsi imperauerit omnia omnibus assentari.

### A digressione coniecturali.

**H**OMINES alij qui peccarunt, malefici presentis labem vitæ antea actæ innocentia eluere solêt, sæpè enim propter præteritæ probitatis opinionẽ presentibus ignoscimus delictis: at verò adulator, quem ad vniuersa peccatorum genera assidua rapuit peccandi cõsuetudo, quiq; ad assentationem nimiã

diu

## Exercitationes

diuturna seruitute eruditus est, nullam in posterum promittit voluntatis sanationem, est enim consuetudo natura ipsa potentior, plusq; habet ad omnes vitiorum illecebras confectandas efficacitatis. Quare dignus est adulator, ut acerrimos omnium morsus & reprehensiones experiatur.

### A misericordiae exclusione.

**E**C quis, quaeso, adulatorum misereatur, qui tanta naturae peruersione, tanta ingeniorum prauitate, ut vitia commendent, virtutes persequantur, & ita seipsum ad diuitum nutum & libidine effingant, ut quicquid dixerint, affirment, quicquid renuerint, negent, neq; quicquam prodeat ex eorum ore tam turpe, nihil tam spurcum, nihil tam molle aut effeminatum, quod non miro artificio celebrent, & diuinis laudibus prosequantur. Dependant igitur omnes

mnēs pœnas adultores, & supplicia  
 dijs hominibusq; debita persoluant,  
 quando nunquam cessant certam pe-  
 stem & calamitatem mortaliū animis  
 apportare.

### A legitimo.

**Q**uando leges idē inuentæ & ex-  
 cogitatæ fuerunt, ut quod rectum  
 est præcipiatur, prauum verò procul  
 depellatur, nihil erit magis ex legum  
 præscriptione, quàm vt adulator ex ci-  
 uium conuictu in extremas insulas de-  
 portetur, qui cum summa rerum o-  
 mnium confusione leges perturbat, res  
 publicas pessundat, diuitibus eblandi-  
 tur, vt eorum mentes affectando, expe-  
 titis ventris voluptatibus potiatur.

### A iusto.

**N**ihil esse potest cōiustitiæ & equi-  
 tatis altitudine copulatius, quàm  
 vt is



Exercitationes.

ut is seuerissima puniatur animaduersione, qui iustitiam violat, mentes de suo deiecit statu, & sub amicitiae & beneuolentiae obtentu, intestini hostis personam gerit.

Ab utili.

**I**Llud profectò erit ex magno reipublicae usu, & non mediocri totius communitatis utilitate, si hi de medio tollantur, qui veram amicitiam de medio tollunt, & cum omnia conuertant in blanditias, autores existunt, ne verus amicus à falso internosci aut disiungi posse videatur.

A possibili.

**N**eq; est quòd vos iudices à summi supplicij proposito propter negotij difficultatē deterreamini, cum idè fulgentes gladijs geratis, idè numerosis armatorum satellitum gregibus

stipa

stipati sitis, vt in simile genus hominū  
seuerissimas pœnas exerceatis, nec quis  
quam tã audax sit, qui velit, nec tã for-  
tis, qui possit vestris conatibus obsi-  
stere.

### Ab honesto.

**Q**uid magis æquissimos & sanctif-  
imos iudices decere possit, non  
video, quàm vt tanto furori & insanix  
præsertissimis occurrât remedijs, publi-  
cas utilitates priuatis emolumētis an-  
teferant, & suarum rerum omnium li-  
bentissimè iacturam faciant, vt alio-  
rum commoda cōstituant.

### Ab euentu.

**Q**uod si adulescentes dignum suæ te-  
meritatis vitiosæq; naturæ pretiū  
ferant, futurum est, vt reliqui morta-  
les à simili vitæ genere deterriti, veri-  
tatem colant, otium vitiorū omnium

feminarium fugiant, proprijs sudoribus victum quærant, & cum seipfos ad bene sancte q; viuendum comparauerint, hos alieni laboris & industriæ fucos odio prosequantur capitali.

Alterum loci communis exemplum in periuros.

Exordium.

**I**n eos omnes qui scelere & maleficio pascuntur, duros & inexorabiles iudices esse oportet, maximè in periuros, qui non dubitant pro vilissimo lucro exiguaq; mercedula, deos immortales in suorum mendaciorum testimonium producere.

A contrario.

Quem



**Q**uemadmodum nihil est ad diuinã naturam leniendam mitigandãq; efficacius, quàm si veritatem inuiolatã serues in iuramento, sic nihil magis diuinæ indignationis iracundiẽq; flãmas in tuũ caput excitare potest, quàm si te polluas periurio, vt aliquid inde compendij tuis rationibus & opportunitatibus accrescat.

### Ab expositione ampli- ficatoria.

**E**c quod, obsecro, genus hominum est rebus communibus periuris pestilẽtius. Qui quãdo se ipsos ad peierãdum compararunt, tribus personis grauisissimam inferunt iniuriam. Deo primũ, quem nefario & inexpliabili contemnunt periurio. Iudici deinde, quem mentiendo fallunt. Postremò innocenti, quem falso opprimunt testimonio. Ex quo decorum contemptu & religionis neglectione, fo-

## Exercitationes

let agrorum sterilitas, frugum inopia, rerum omnium penuria prouenire. Vt interim taceamus seditiones, turbulentos factiosorum ciuium motus, atroces & sanguinarias pugnas, regionum deuastationes, urbiu excidia atq; pestes, quibus omnibus humanum genus non ita longo interuallo temporis absumitur.

### A comparatione.

**S**I reliqua vitia cum periurio conferantur, nullum vitiorum instar habent. Nam libido vni aut alteri familiae stuprum infert, aut aliquam aliam turpitudinis labem: nimia ciborum & exquisitissimarum epularum heluatio suum deuorat patrimonium: inuidus sui ipsius carnifex est: auarus genium suum victu defraudat necessario: at verò per iurus deum vellet, si posset, omni ratione diuinitatis expoliare, deus enim mēdax deus nō est. Quin potius illud  
est

est diuinæ proprium naturæ, vt non tãtùm vera sit, sed ipsamet veritas, quæ nulla mendacij aut falsitatis nota adulterari possit.

### A sententia.

**P**ERIURI mala mens est, malus animus, nihilq; habet, quo possit suam sententiam purgare, quæ eò potissimùm confertur, vt deum faciat mendacem: quo scelere nullum maius, nullû atrocius excogitari potest, & in quod soleant dii immortalis duriùs aut seueriùs animaduertere. Quod ex turpissimo Cydiæ periurio dignissimoq; supplicio conicere licebit. Fertur Archetimus quidam, ex Erythræa Ioniæ ciuitate in Tenedum venisse, & apud Cydiã hospitem suum auri magnam vim depossuisse, nihil de homine sinistri aut violenti suspicatum, vt qui cum eo recens amicitiam inuisset. Tum Cydiæ malû consiliû auaritia suggessit. Cùm enim



## Exercitationes

aurum apud se depositum ab ipso reperceretur, summa animi obstinatione et pertinacia negavit. Et cum inter se vehementer contenderent, tandem visum est, ut totum negotium ad iusiurandum referretur. Cydias igitur cum tertio post hæc die fidem suam ceu diis commissam iureiurando confirmaturus esset, reuersus domum huiusmodi dolum excogitauit. Omne simul aurum in excavatam ferulam inclusit, & qua parte ferulam manus amplectitur, fasciam circumuoluit vndequa; , ut dolus celaretur. Postquam verò præscriptus dies aduenit, Cydias languidum gradum causa morbi fingens, fulciendo ferula corpus accessit, & stans ante templum, quod iuramenti sui solennisque sacramenti volebat esse conscius, ferulam, in qua omnis eius dolus delitescerat, Archetimo tenendam porrigit, donec iuramentum absoluisset. Deinde manibus in cælum sublatis dixit, accepisse quidem se depositum ab Archetimo, sed

id resti

id restituisse : quod mendacium erat arte confictum. His dictis grauer in- dignatus Archetimus , ictu vehe- menti ferulam in pauimentum proie- cit, qua per varias diffracta partes , omnis auri moles effluxit : & sic Ar- chetimus singulari numinis prouiden- tia adiutus, quod suum erat, recepit, & Cydias est inauspicatum vitæ exi- tum fortitus : est enim periurij pœ- na humana , dedecus : diuina , exi- tium.

A digressione con-  
iecturali.



**Q**uod nisi vitam antea actam in- finitis alijs sceleribus deturpaf- set , veniam quoquo pacto mere- retur præsens error , verum cum ex similib<sup>9</sup> periurijs malè semper apud o- mnes audierit, æquū est iudices, vt ve- stram in supplicio sentiat seueri-

## Exercitationes.

tatem, ne si in eo puniendo nimium indulgentes sitis, vestra apud eum auctoritas vilescat.

### A misericordiæ exclusione.

**Q**Vando igitur non in homines, sed in deos potius immortalitatis participes peccavit, eosdemque voluit mendacij nota et turpitudine infamare, malè iudices vestro munere fugeremini, nisi homini passim peieranti omne humanitatis et misericordiæ vestræ per fugiū intercluderetur.

### A legitimo.

**L**Eges in sceleratos omnes & facinorosos severissimas excogitarunt poenas, sed in periuros potissimum deorum contemptores, qui nisi pro meritis puniantur, omnes vno ore prædicabunt, vos legum defensores, & patronos leges violasse, & contra earum decreta  
& fan-



& sanctiones aliquid statuisse.

A iusto, utili, honesto,  
possibili.

**N**ihil iustius, utilius, aut honestius,  
à vobis fingi, aut mente & cogita  
tione concipi potest, quam ut hi meri  
ta afficiantur castigatione, qui ad diui  
nā maiestatem falso lædendam iuramē  
to suos animos inducere potuerūt, præ  
fertim cū id sine vlla vestra opera  
præstare valeatis, negotio tantū car  
nificibus & reliquis vestræ voluntatis  
administris demandato.

### Ab euentu

**Q**uod si iudices, vehemēti studio  
& ardore præstiteritis, exemplū  
vniuersis gentibus & nationibus in pu  
blico constituetis, vt deos immortales  
religiosè obseruēt, & pio cultu, ac de  
bita veneratione prosequātur. Et quo

## Exercitationes

nam in loci communis finitione non tantum vitia, sed virtutes etiam incluse sunt, eisdem capitibus, quibus vitia persecuti sumus, constabit virtutum dilatatio. Tu selige quam malueris, eius que dignitatem suis gradibus amplificata, nos enim id non prestitimus, ne terminos breuitati prescriptos transiliret disputatio nostra.

### Quintum progymnasma rhetoricum,

#### De laude.



Aus ex sententia Georgij Trapezontij libro primo capite primo, est oratio amplificans res bonas, quas certæ personæ inelle dicimus. Solent autem potissimum laudari personæ, idque  
aut

aut communiter, aut singulatim: communiter, ut si hominem laudibus decorandum suscipias: singulatim, ut si Socratem. Cùm verò in loco communi laus etiam conclusa sit, hoc differunt, quòd in loco communi pro viro forti dicentes, eo consilio dicimus, ut præmium petamus, laus autem per se virtutis testimonium habet. Differt præterea laus ab hymno & Epæno, quòd hymnus deorum sit, laus verò, mortalium, Epænus paucis verbis conficiatur, laus autem ex rhetoricæ artis præceptionibus in amplum proferri ac dilatari solet.

Sed cùm proprium laudis sit, res amplificare & ornare dicendo, hæc materia præcipuè quidem in deos & homines cadit, ut autor est Quintilianus libro tertio, capite septimo. In dijs immortalibus primùm naturæ ipsorum maiestatem & excelsi-

tatem



## Exercitationes.

/.
 ratē veneramur , quòd supra mortalium  
 fortē & conditionem posita sit , quòd  
 rerū omnium naturas, quę sub cęli ambi-  
 tu continentur, longo superet inter-  
 uallo. Deinde propria vim cuiusq; ut  
 in Ioue, quòd res omnes suo nutu &  
 prouidentia moderetur : in Marte, quòd  
 ancipites pręliorum cętus gubernet  
 pro arbitratu: in Neptuno, quòd supra  
 spumosos maris furores imperiũ & do-  
 minatum teneat. Pręterea inuenta, ut  
 in Minerua artium : in Mercurio lite-  
 rarum, in Apolline medicinę, in Ce-  
 rere frugum, in Baccho vini inuentio-  
 nę celebramus. Tum eorum gesta, ut  
 in Ioue, Titanas & Gigantes iactis ful-  
 minibus interfecisse: in Baccho, totum  
 penę orbem perdomuisse. Addunt etiã  
 dijs honorem parentes: ut si quis Iouis  
 filius habeatur. Pręclara etiam sobo-  
 les & progenies, ut Apollo & Diana  
 Latonę. Addit antiquitas, ut his qui  
 sunt ex Chao, Hesiod<sup>9</sup> enim in Theo-  
 gonia, rerum omnium atq; deorum origi-  
 nem

nem à Chao repetit, ita autem appellatur immensus hiatus, omnium rerum in se cōplectens semina.

Multò magis varia est laus hominū, hæc enim in tria tempora distribuitur, præteritū n, præsens, consequens. Ad præteritū spectant genus, natio, patria, respōsa vel auguria. Nam tres priores loci magnas in omni genere hominū vires habent: plurimū enim refert ad rectam vitæ institutionē, quibus sis natus parentibus, inter quos ciues, in qua patria. Horum trium locorum duplex est tractatio: aut enim aliquem cōmendamus, quòd sui generis, nationis, patriæ nobilitati responderit, aut quòd humile genus, ignobilem patriā & nationē egregijs facinoribus & rebus præclarè gestis illustrauerit.

Responſa vel auguria ea dicuntur, quæ ortū alicuius præceſſerunt, quæq; futuram eiusdem claritatem significarunt: qualia fuerunt ea oracula, quæ cum, qui ex Thetide natus eſſet, maiorē

rem

## Exercitationes

rem patre suo futurum cecinisse dicuntur. Quocirca Prometheus Ioué monuit, vt Thetidis congressum vitaret, aliô qui futurum, vt à filio regno expelleretur. Et si liceat sacra profanis intermiscere, similia fuerunt vaticinia, quibus diui Ioannis Baptistæ natalitius dies fuit multò antè prædictus à prophetis diuino afflatis furore.

Ad tempus præsens pertinent omnes gradus ætatis, qualè scilicet de derit virtutis significationem puer, qualis fuerit adolescens, qualis tandem vir factus et senex. Ad idem tẽpus pertinent tria bonorum genera, externa, corporis, & animi. Externa sunt, quæ ex arbitrio pendent fortunæ, vt diuitiæ, genus, potestas, gloria, amicitia, latissima prædia, quæ quidè bona fluxa sunt, & in singulas horas varias suscipere solent mutationes. Hæc autem non idèo commendari debent, quòd quis ea abundè possederit



federit, sed quòd in vfus honestos con-  
tulerit. Corporis bona sunt, velo-  
citas, vires, valetudo, forma, dignitas  
oris, sensuum sagacitas, & alia id ge-  
nus, quæ eo nomine commendari de-  
bent, quòd in rebus honestis impendā-  
tur. Sed inter hæc bona corporis, certè  
forma, id est, apta membrorum totius  
corporis conformatio, habet aliquid li-  
berale dignumq; laude, maximè si in  
ea appareant aperta virtutis & hone-  
statis simulachra. Vnde Plinius secun-  
dus epistolarum libro primo de Aci-  
liano, est illi facies liberalis, mul-  
to sanguine, multo rubore suffusa,  
est ingenua totius corporis pulchri-  
tudo, & quidam senatorius decor,  
quæ ego nequaquam arbitror negli-  
genda. Animi bona virtutes sunt: ve-  
rùm harum aliæ sunt actionis, vt  
temperantia, continentia, fortitu-  
do, patientia, liberalitas, iustitia.  
Aliæ cognitionis, quæ ad rerum  
contemplationem destinatae sunt,  
vt pru

Exercitationes.

vt prudentia, calliditas, sapientia.

Ad tēpus consequens spectant quæ post mortē, si is, quē laudamus, ab hominibus demigraverit, vt statuę, nam viris de republica præclarè meritis plerunque senatusconsulto statuę decernebantur in celeberrimis vrbis locis, vt in foro et capitolio. Funera, si eius parentalia fuerint omnium civium cōcursum celebrata. Luctus honorum omnium, desiderium defuncti, honesta fama, monumenta ingenij, quibus suum nomē fecerit immortale, ne aut vetustatis, aut obliuionis iniuria, ex hominum mentibus aboleretur. Præter homines: qui præcipuam laudis partē sibi ipsis vindicare solent, cōmendantur etiā res, vt iustitia, tēperantia. Sic ad ingenij vires periclitandas, artēq; ostentandam Phavorinus laudauit quartanam febrem, eum enim constantius valiturum, qui febre liberatus vires integras recuperauerit, multis argumētis firmavit. Glauco apud Platonem iniustitiā, Pacus Mirandu-

radula barbariem, Lucianus muscam.  
 Tempora item laudari solent, vt ver,  
 æstas. Loca, vt portus, vrbes, amœnissi-  
 mi horti. Ratione carentia animalia,  
 vt equus aut bos. Plantæ, vt vitis aut  
 oliua: ac deniq; quicquid est quod in  
 rerû natura existit. Quæ singula suos  
 habent laudationis locos, qui rem ali-  
 quam volentibus commendare, statim  
 occurrent: vt si velis urbem aliquam  
 laudibus efferre, id efficies ab antiqui-  
 tate, situ, primis fundatoribus, religio-  
 nis studio, ciuium frequentia, magni-  
 ficentia domorum, aëris salubritate,  
 ac deniq; rerum omnium abundantia,  
 quas homines ad victum & vitæ susten-  
 tationem ardentè expetunt.

### Tractatio laudis.

CONSTAT laudis tractatio septē præ-  
 cipuis locis. Proœmio, patria, ma-  
 ioribus, educatione, rebus gestis, cõpa-  
 ratione, epilogo. In proœnio licebit

N vnde



## Exercitationes.

Undecunq; exordiri, modò ad ré propositam possis commodè descendere, siue id fiat à sententia generali, siue à Chria, siue ab Apologo, siue à contrario, siue à narratione rei alicuius, frequentius tamè ab insigni laude eius rei, quæ ornanda nobis proposita est. Libera enim sunt laudis exordia, neq; vllis angustis limitibus aut terminis circûclusa. In patria nationem etiam intelliges. In maioribus discuties omne genus. In educatione studia, artes, leges, exercitationem comprehendes. In rebus gestis bona animi, corporis, & fortunæ complectêris. In cõparatione produces rem aliam insignem, cum qua id quod laudabis collatum, multò maius, & augustius efficiatur.

Postremò epilogus fiet voto & precationi quàm simillimus. Propositis exêplis ré omnè

studiosorum ocu-

lis subijcia-

mus.

Platonis laus præ-  
mium.



Veteres omnes philoso-  
phos, quos prisca illa  
secula illustribus cele-  
brant monumentis, v-  
nus Plato multis passi-  
bus præcucurrit, siue virtutum præ-  
stantissimarum excellentiam, siue in-  
genij sublimitatem, siue vitæ innocen-  
tiam & honestatem, siue rerum altissi-  
marum cognitionem, siue vehemens  
sapientiæ studium, & discendi auidita-  
tem spectes: vnde fuit ab omni antiqui-  
tate cognomento diuinitatis honesta-  
tus.

A patria.

Patriam eam habuit, quæ fertilissi-  
mam illi omnis eruditionis segetem  
& latissimam gloriæ & eternitatis ma-  
teriam ministravit: est enim Athenis

## Exercitationes.

natus, quas veteres bonarum artium & doctrinarum inuentrices & alumnas appellauere, & vnde omnis bene dicé di & humanitatis ratio profluxerit. Hinc factum est, vt Atheniensis natio orbis terrarū gētiumq; omniū clarissima, olim cūctorum calculis vna & mēte & voce consentientibus, haberetur.

## A maioribus.

*Plutarchus in Platone.*

**C**Laram Platonis extitisse progeniē nobilemq; stirpem cunctorum testantur literæ, seu paternam seu maternam intuearis originem. Patrē habuit Aristonem patritium ciuem, quiq; inter Athenienses de honestate familiæ, generis claritate, natalium splendore iure posset gloriari. Matrem Perictionam siue Pronam, honestam in primis foeminam, quæ à Solone, celebri legū Atticarum latore, & è septem sapientibus vno, sui generis primordia repe tebat.

Ab



## Ab educatione.

CUM adhuc in cunis primos ederet  
 ploratus Plato, apes non paruum  
 mellis vim dormientis labellis instilla-  
 runt, quod quidem fuit non obscurum  
 Platonicæ eloquentiæ præfagium. Nã  
 cùm res ad prodigiorum interpretes  
 delata esset, eum talem procedentibus  
 annis futurum vaticinati sunt, vt ex  
 eius lingua melle dulciôr flueret ora-  
 tio. Cùm quiesceret aliquando Socra-  
 tes, & vniuersa corporis membra sua-  
 uissimus somnus irrigasset, inter ge-  
 nua nouellum Cygni pullum tenêre se  
 existimauit, eumq; natis de repête plu-  
 mis sublimem euolasse, & ipsum æthe-  
 rem dulci clangore, ac suauissimis cã-  
 tibus impleuisse. Postridiè cùm Plato  
 ad Socratis ludum, literariamq; scho-  
 lam præceptis eius & institutione for-  
 mandus, à patre deductus esset, viso  
 statim puerulo, hæc illa, inquit, est au-

Exercitationes.

eula, cuius imago nocte proxima mihi per somnum obuerfata est. Quæ tâ clara de futura Flatonis amplitudine auguria ingenti in posterum euêtu minimè caruere. Nam puer primas literas sub Dionysio præceptore perdidicit, inter adolescentes claris procreatos parentibus versatus, qui non dubiam plurimæ probitatis indolem præ se ferebant. Adolescens poëtico stylo delectatus est, & donec lasciuioris ætatis feruor tantisper refedit, Elegias, & Tragœdias parû honesto argumêto composuit: quas, cum primùm animum ad philosophiam applicuisset, in ignem ardententesque flammæ coniecit, perinde ac bonis artibus & moribus perniciosas. Deinde cùm vigesimum ageret ætatis annum, Socratem audiuit, qui eo tempore Athenis florebat: & cùm omne genus superstitionis ab vrbe procul amandaret, veram arripiendæ virtutis semitam Atheniensium liberis common-

monstrabat. Post indignam Socratis mortem, Cratylo Heracliti discipulo, & Hermogeni Parmenidis philosophiam prouententi seipsum polendum recoquendumque tradidit. Annos post modum octo & viginti natus, Socraticis secum assumptis, quos discendi cupiditate vehementer incensos esse cognouerat, ad Euclidem nobilissimum ea tempestate Geometram Megaram secessit, Cyrenem mox, ad Mathematicum Theodorum. Inde factus doctior in Italiam ad Philolaum, Timæum, & Eurimum pythagoricos nauigauit, ut ex his saluberrimas hauriret pythagorę præceptiones, quibus nihil erat ad bene beateque uiendum appositius. Ab his in Aegyptum ad sacerdotes & prophetas se recepit, à quibus siderum ortus, cursus, obitus, varias stellarum potestates, numerorum & mensurarum rationes eleganter edoctus est. Et nisi flagrantibus in Asia bellis reuocatus esset, decreuerat ad Magos



## Exercitationes

in Persidem proficisci, qui toti rebus diuinis intenti, multa de votis suscipiendis, de dijs solenibus sacrificijs placandis, de industria, de pietate, de corporum humatione cum omnium admiratione differebant. Tandem post longā ac diuturnam peregrinationem Athenas regressus, vitam in Academia traduxit: vbi non tantum viros, sed foeminas etiam præclaris philosophiæ præceptis erudiebat: inter quas celebres fuerunt Laïchenia ex Mantinea, & Axiothea Phlïasia, quæ virilem habitum ementitę inter numerosos discipulorum greges versabantur, vt diuinis Platonis vocibus ipsarum aures vndiq; circumsonarent. Cùm igitur vno & octogesimo ætatis anno multa & legens & scribens obiisset, a Magis, qui tunc Athenis erant, pro deo habitus est, & publicè peractis sacrificijs decoratus, quia numerum perfectissimum consummauisset, quem nouem nouies multiplicata cõficiunt. Quid dicam de statuis, quæ  
plato

Platoni fuerunt à Mithridate potentissimo Persarum rege in Academia erectæ, quæ florentem ipsius memoriam in hominum mentibus conseruarent, neq; vnquam interire aut emarcescere paterentur? Ex quibus omnibus id Plato consecutus est, vt græci Aristotelem quidem Dæmoniũ, Platonem verò diuinum cognominauerint: quia videlicet Aristoteles & vita humanus, & sciẽtia naturalis maximè fuerit, Plato verò & vita & ingenij monumentis, quæ ad rectam totius posteritatis formationem quã plurima reliquit, sese ad res diuinas potissimùm contulisset.

### A rebus gestis.

**I**am verò, si res eius gestas diligenter consideres, & tacita cogitatione tecum attentius contempleris, inuenies Platonem non humanum fuisse, sed è cælis potiùs ad terras demissum, vt eas omnibus vitiorum sordibus purgaret,

## Exercitationes

& sanctissimis continentiae, verecun-  
 diae, humanitatis, beneficentiae, fidei,  
 sobrietatis, sanctimoniae legibus insti-  
 tueret. Nam & Syracusanis expulso  
 Dionysio tyranno leges dedit, & Cre-  
 tensibus Magnesia nuper condita ciui-  
 tate scripsit leges, duodecim in libros  
 digestas. Neque contentus sua industria  
 & labore omnibus profecisse, misit ex  
 familiaribus suis Aristonymum ad Ar-  
 cadas, ad Ilios Phormionem, ad Py-  
 reos Meledimum, ut ab his intra re-  
 giones officij legum seueritate conti-  
 nerentur. Ter in Sicilia nauigauit,  
 primo ut insulam, & Aethnae miracu-  
 la, crateresque videret. Secundo profe-  
 ctus est ad iuniorem Dionysium, hac spe du-  
 ctus, ut omni inde tyrannide relegata,  
 aut republicam aut regnum faceret, &  
 (quod iam diu in votis habebat) guber-  
 nationem quandam maxime philosophi-  
 cam videret, in qua vel philosophi guber-  
 narerent, vel gubernatores philosophar-  
 entur. Tertio accessit, ut Dionem Diony-  
sio



sio reconciliaret. Quo tēpore Diony-  
 sius vittatā illi triremē obuiā misit, &  
 Archedemū pythagoricū oratorē, no-  
 bilesq; permultos, & ipse quadrigis al-  
 bis egredientem excepit. Erat & specio-  
 sissimo & robustissimo corporis habi-  
 tu, vnde & à latis humeris, ampla fron-  
 te, egregia totius corporis proportione  
 orationis vbertate, Plato est nuncupa-  
 t<sup>o</sup>, cū antea Aristocles appellaretur.  
 Habuit amplissimū patrimoniū, florē-  
 tesq; fortunas, quas tamen fratribus di-  
 largitus est, præter suburbanū prædio-  
 lū, quo vno ita contentus vixit, vt ibi  
 vitam quietam & tranquillam tradu-  
 xerit, & omnibus affectuū & permo-  
 tionum turbinibus liberā, neq; vnquā  
 pecunias, sed libros perpetuò sitiebat.

### A comparatione.

**F**Loruerunt eādē tempestate multi,  
 in quorum numero fuerūt Democri-  
 tus Abderita, Empedocles Agrigētī<sup>o</sup>  
 Hippo

## Exercitationes.

Hippocrates Caus medicus, Herodotus historicus, Euripides & Sophocles tragici, Diogenes Cynicus, Aristophanes Comicus, alijq; complures, quorum ea ætas fertilissima erat. Verum si hi omnes cum vno tantum Platone cõparentur, non sapientes, sed insipientes potiùs, & literarum rudes censendi sunt.

## Epilogus.

**M**ultò plura de tãto philosopho dici poterant, sed finem facio, cum nulla sit tanta aut dicendi aut scribendi copia, nulla tanta vis eloquẽtiæ, nullum tam aureũ orationis flumẽ, quod non dicam exornandis, sed ne enarrandis quidem tanti viri virtutibus par esse possit.

Qui volet quanlibet aliam personã laudibus augere, ad hæc eadem capita conuolabit, similis est enim, quantum ad locos spectat, personarum omnium

com.

commendatio. Verùm si placeret res alias celebrare, ab alijs etiam fontibus deberes laudationis locos precariò petere: vt si velles gymnasium aliquod literarium extollere, eisdẽ quibus nos in celebranda Cõplutensi Academia locis & capitibus vtẽris.

## Encomium Compluten sis Academiæ.

### A dicentis officio.



Vemadmodum nullum officium referenda gratia laudabilius est, sic nihil est ingratitude detestabile magis, ex qua nascitur scele-  
rum omnium & flagitiorum eluuius, benefacta tolluntur de medio, quibus dandis & accipiendis homines inter se tam firma deuinciuntur societate, vt alter pro altero non dubitet, nõ fortunas tantam, sed vitam etiã deuouere, qua  
nihil



nihil mortalibus carius aut antiquius esse solet. Quòd si Ciconia omnis expertis rationis parentibus senio confectis mutuam vicem rependit, quantò æquiùs est, nos quorum mentibus rationis lumen affullit, his qui in nos benefici & liberales extiterunt, aliquam dare grati animi significationem, si non paria paribus referendo, scribendo saltem, & eorum laudes literis & memorię posteritatis inculpendo, ne eas vlla possit corrodere aut consumere vetustas. Cùm autē Academia Complutensis ceu mater quaedā indulgentissima nos educauerit, & tanquam alumnos, & carissima pignora sinibus blandioribus enutrierit, cùm nos egregijs disciplinis, & probatis moribus instituerit, cùm nostram necessario victu mendicitatem sustentauerit, cùm conditionem nostram iacentem humi maximis honoribus euexerit, quis nostram ingratitude, ne dicam impietate, verborum contumelijs non lacerabit, nisi,

ausulam officiosam parentem amplissi-  
 mis laudibus celebremus, & eius me-  
 moriam ab obliuionis & mortalitatis  
 iniuria vindicemus?

Aprimo Academiae funda-  
 -tore & eiusdem meccena-  
 -tibus.



Vndauit hanc vniuersitatē  
 primus caelestis ille vir Frā-  
 ciscus Ximenius Cygneus,  
 Franciscani instituti mona-  
 chus, in quo tot ac tam heroicae vir-  
 tutes eluxerunt, vt ad sanandas sce-  
 leratorum hominum voluntates, ad  
 emendandos fluentes mores, seueris  
 que virtutum legibus deuinciendos,  
 ad eluendas flagitiorum & prauarum  
 opinionum maculas, quibus totus pro-  
 pemodum orbis infectus erat, ad eri-  
 gendos mortalium animos ad futu-  
 ra felicitatis desideria, qui sese to-

## Exercitationes

tos ad terrenas voluptates, & suauissi-  
 mum vitiorum pastum abiecerāt, è ce-  
 lestibus illis sedibus ad terras singula-  
 ri numinis prouidentia delapsus fuisse  
 videatur. Nam principiò tantū in hoc  
 Heroë insitum fuit ac penitus innatū  
 religionis studium, vt cū ad purpu-  
 ram & cardinalitium pileum promo-  
 tus esset, vilissimo tamē sacco, & cras-  
 so vteretur cucullo. Et cū mollibus  
 dormire posset culcitris, ex tenuissima  
 lana aut pluma confectis, & conchylia-  
 ta adhibere peristromata, sarmentorū  
 tamen fasciculos sibi ad somnum dele-  
 git, in quibus tam suauiter in omnes  
 partes versabat membra, ac si in medijs  
 rerū omnium delicijs & voluptatibus  
 versaretur. Et cū mensas habere pos-  
 set exquisitissimis epulis, varijs condi-  
 mentorum generibus extractas, pre-  
 tiosissimis deniq; vnguentorum odo-  
 ribus fumantes, quales pontificiam il-  
 lam dignitatem in alto ac sublimi lo-  
 co constitutā non omnino dedecere-  
 nt,



parco tamen ac tenui victu cōtentus cetera naturæ blandimenta respuebat, quibus quasi titillatio quædā sensibus adhibetur, & animus à rerum supernarum meditatione ad fœdissimas cupiditates auocatur. Quid? quod tanto in pauperes amoris & paternæ cuiusdam caritatis ardore ferebatur, vt seuerissimam illam ecclesiæ Toletanæ personam, quam repræsentabat, debito comitatu & satellitio expoliauerit, vt pecunijs ex huiusmodi modestia & parsimonia collectis, eorum necessitatibus occurreret, & suū geniū quodammodo defraudauerit, vt ipsorum palatis inferuiret. Vnde quamplurima crexit religiosarum virginum & monachorum cœnobia, quæ amplissimis redditibus & prouentibus dotauit, ne illæ florem virginitatis propter inopiā & nuditatem delibari paterentur, aut hi eiusdem egestatis impulsu in furias quasdam acti, alienis fortunis & facultatibus nefarias & sacrilegas manus in-

## Exercitationes

ferre cogerentur. Neq; illa est frumē-  
 taria largitio obuoluenda silentio, qua  
 multa huius regionis oppida locupleta  
 uit, cū alijs quatuor, alijs sex, alijs  
 decem millia modiūm tritici do-  
 no dederit: vt si quando pestilens ali-  
 qua fames ingrueret, quæ pauperes hu-  
 iusmodi miserijs & acerbitatibus sub-  
 iectos passim necaret, hoc saltem præ-  
 sentissimo remedio leuaretur. Quid  
 de hac vniuersitate, fertilissimo doctri-  
 narum omnium, & variæ eruditionis  
 ac multiplicis literaturæ emporio, di-  
 cam? In qua plurima sunt exēdicata  
 collegia, in quibus iuuentuti quotidiana-  
 nus tribueretur victus, quæ omni hu-  
 mano præsidio destituta esset, neq; ali-  
 ter posset ad ingenij lumen & nominis  
 celebrationem aspirare. Et ne quis fal-  
 sò arbitraretur ad literas tantūm fouē-  
 das, ad religionum & cæremoniarum  
 sanctitates, ad aras, ad altaria natum es-  
 se, hic idē tanta fuit animi excellētia &  
 magnitudine præditus, vt Maëaura m-

arcem

arcem munitissimam in Africæ littori-  
bus & confinio iacentem expugnaue-  
rit, ad quam defendendam omnis con-  
fluxerat barbaria: inde immanes illas  
& efferatas gentes, quæ christianorum  
iugulis impendebant expulerit, expul-  
sas prostrauerit, prostratas sub iugum  
miserit, & debitis supplicijs & castiga-  
tionibus affecerit. Et ne quid ad tantæ  
religionis summam defuisse videretur,  
in Biblijs ad græcam & Hebraicam fi-  
dem restituendis, tot ac tam profusas im-  
pensas fecit, euocatis vndiq; amplissi-  
mis conditionibus peritissimis vtrius-  
q; linguæ magistris, vt in numerû cer-  
tû referri non possint. Quare dicendi  
finem faciamus, nam si singulas huius  
diuini hominis virtutes persequi vel-  
lemus, nullis terminis aut limitibus  
circûscribi posset oratio nostra. Et ne  
vlllo veniētium tēporum decursu labe-  
factari ab aduersarijs aut conuelli pos-  
set Academia, eam potētissimorû prin-



## Exercitationes

cipum fidei & patrocínio commenda-  
datam reliquit, quales sunt Toletanæ  
ecclesiæ prælati, Infantatus duces, Cru-  
gnia comites, Benedictus Cygneus ex  
sorore nepos, Barajarum reguli: quo-  
rum firmissimis præsijs ita munita  
& omni ex parte circumsepta est, vt  
indies singulos gloria ex literarũ splé-  
dore parta magis ac magis florere de-  
beat, neq; possit flos ille vllis aduer-  
santis fortunæ flatibus inarescere.

### Ab obseruata tēporis & lo- ci commoditate.

**A** Diecit autē cogitationē ad erigēdā  
Academiā, illis potissimūm tēpori  
b<sup>o</sup>, in quib<sup>o</sup> furore quodā diuino & in-  
flāmatione incitatus, veteres hereses fu-  
scitari, noua quædā fingi portēta, velu-  
ti certissimo rerũ futurarũ augurio præ-  
sentiebat. Atq; vtinā quod ille tacita  
cōceperat cogitatione, intimis que sen-  
sibus reposuerat, re ipsa completum,  
& cum tanta ecclesiasticæ dignitatis  
iactura

iacitura perfectum non videremus. Nam licet ecclesia dulcissima Christi sponsa inter primos pannos, & infantia vagientis incunabula omnes pertulerit dolorum acerbitates, omnia in suo capite inimicorum tela perfregerit, & postremò omnibus fuerit ignominijs atq; contumelijs impudenter appetita, tamen nunquam atrociores tormentorum & carnificum cruciatus experta est, nunquam tot fuit hæreticorum vulneribus fauciata, nunquam tot probris maledictis, conuitijs, rabiosis furiarum moribus lacerata, quàm hisce perditis & calamitosis temporibus, ad quæ seculorum omnium sordes & faeces per uenerunt. Vidit quondam vnum aut alterum principem eorum patrociniū suscipientem, qui à fide & christiana republica excellentibus sanctissimorum patrum decretis & sanctionibus egregiè constituta, turpi defectionis nota & cum summo dedecore desciuissent, sed nunc vix potest viros nobiles, &

## Exercitationes.

potentissimos magistratus numerare,  
 qui nescio quibus furoris & amentiae  
 stimulis agitati, in apertam ipsius per-  
 niciem, exitium, pestem, manibus aras  
 tenentes coniurarunt. Vidit aliquan-  
 do vnam aut alteram orbis facie hære-  
 sibus deformatam, & foedissimis erro-  
 rum maculis infectam, nunc verò totum pe-  
 nne orbem opinionum fluctibus veluti fre-  
 tum aliquod aut Euripum aestuare, & nati-  
 uum illum veritatis candorem usque adeo me-  
 daciorum nebulis obscuratum, ut vni-  
 uersa ferè regna, prouinciae, atque natio-  
 nes in profundis tenebris, & tetra cali-  
 gine versentur, extincto fidei lumine,  
 quod antea solebat eorum animis &  
 pectoribus illucescere. Vidit unum aut  
 alterum christianum dogma ore ince-  
 sso & sacrilego pollui, aliquod suum  
 membrum parum pie & honestè tra-  
 ctari, aliquam ex suis ceremonijs ab vno  
 aut altero antichristo contumeliosis  
 vocibus irrideri: nunc verò (proh do-  
 lor) totam religionem inexpiabili sce-  
lere



lere peruerti, totum corpus miserabiliter vulnerari, vniuersas subsanari ceremonias, suis omnibus ornamentis nudari templa, diuorum imagines auulsis emblematis pessundari, iura diuina & humana contemni, pontificiam vilipendi potestatem, scripturam sacram falsis commutationibus deprauari, omne sacerdotij genus in summo iacere contemptu & neglectione, virgines deo dicatas exturbatis Cœnobiorum parietibus, nefario incestu, & stupro turpissimo violari, & quod est omnium longè miserrimum, ac multò maioribus lacrymarum fluminibus deplorandum, christianorum secari colla, & hostiles gladios atq; secures ipsorum sanguine madere. Cùm igitur sanctissimus vir, tot miseras & calamitates eorum ceruicibus impendentes videret, qui Christianam profiterentur militiam, cùm tot hæresum Lernas reuiuiscences intueretur, hanc literariam officinam

## Exercitationes

ex ædificandâ curauit, quæ omnibus do-  
 ctrinarû generibus abūdaret, quæ q; re-  
 liquis totius orbis gymnasijs inuidiæ  
 & æmulationis stimulos excitaret.  
 Hîc florēt politiores musæ, artes inge-  
 nuæ & liberis hominibus dignæ, hîc vi-  
 gent Dialecticæ, Mathematicæ, & phy-  
 sicæ disciplinæ, hîc eminent medicina,  
 hîc ius pontificium excellit, hîc re-  
 gnum & principatum tenet Theolo-  
 gia, scientiarum omnium domina-  
 trix & patrona. Quæ omnia eo sunt in-  
 stituta cōsilio, vt ex hoc fertilissimo li-  
 terarû mercatu, viri prodiret ingenio,  
 sapientia, religione, vitæ sanctimonia,  
 integritatis & innocentia existimatio-  
 ne præstâtissimi, qui hæreticorum vo-  
 luntates sanarent, & ex eorum menti-  
 bus cæcitatise et ignorationis tenebras  
 depellerent, & si quando à perditis et  
 nefarijs hominib' fidei fundamēta pra-  
 uis opinionibus labefactarentur, corû  
 impetus comprimere, insaniam frēna-  
 re, motus turbulentos compescere, &

sacri

facrilegis illorum conatibus occurre-  
re, ad memorię immortalitatem glo-  
riosum arbitrarentur. Quòd si locum  
in quo Compultēsis hæc Academia ex-  
tructa est, diligentius consideres, vix  
vllum profectò reperiēs, qui cum eo  
de pulcherrima edificiōrum structura,  
de cæli clementia, aëris & aquarum sa-  
lubritate, vbertate agrorum, amcenis-  
simis camporum prospectibus, fructuū  
varietate, magnitudine pastionis, mul-  
titudine earum rerum quę exportātur,  
frumenti, pecorum et piscium copia,  
hortorum animos mirum in modum  
recreantium voluptatibus, saltibus o-  
mnigenere venationis scatentibus com-  
parari posse videatur.

Ab optimorum præcepto-  
rum, & studiosæ iuuentutis frequentia.

**V**bi tot ac tanti professores, tot no-  
ui, tot veteres doctores, cælitie & sup-  
cilio venerabiles effulgēt, vt nō apud  
nostrates tantū, sed apud exteras etiam



Exercitationes.

nationes, eorū grauitas, doctrina, mo-  
 res incorrupti, vita honesta, nullisq;  
 deturpata sceleribus aut flagitijs, fidei  
 propagandæ desiderium, veræ ac ger-  
 manæ religionis omnium mentibus in-  
 ferendæ cupiditas, illustria sint, & cre-  
 bris cūctorum sermonibus nobilitata.  
 Atq; ad eò quotquot hīc videas, quot  
 quot intuearis, tot Homeros, tot Ari-  
 stoteles, tot Apollines, tot deniq; cæ-  
 lestia veluti numina ante oculos habe-  
 re præsentia solenniter confirmaueris.  
 Qui omnes, vt reliquas ipsorum dotes  
 silentio contegamus, purissima vasa  
 sunt, in quibus vniuersa scientiarum  
 genera continentur, & ex his in disci-  
 pulorum animos summa fidelitate, stu-  
 dio, diligentia transfunduntur. Quare  
 si iam Apollo ius ille viueret, non o-  
 pus haberet Caucasum multis labori-  
 bus & impēsis pertrāsire, nec Scythas,  
 Massagetas, nec Albanos, ditissima In-  
 diæ regna, deniq; bonarū literarū gra-  
 tia, tantis cū periculis et vitæ discrimi-  
 nibus

nibus penetrare. Item si Pythagoras, si Plato, si Architas ille Tarentinus inter homines adhuc versarētur, non haberent necesse Persas, Lacedæmona, Cretas, Aegyptum, tot deniq; seiunctissimas regiones studiorum causa peragrare, cū omnia Cōpluti multò cumulatiōra, et minori temporis ac rerū dispendio consequi possent. Iam verò tot scholasticorū millia in Complutē se gymnasium ad literas perbibendas confluxerē, ut quòquò oculorum acie intenderis, stipatos videas studiosorū adolescentum greges, qui rem nullam impensius curant, quàm ut eruditionem sibi comparent, quæ rebus aduersis solatio, prosperis et ad votum fluentibus ornamento esse possit.

**Ab aliarum Academi-**  
**miarum collatione.**

Qua



Vare nulla erit tam arrogans Academia, nulla tanto fastu & superbia insolens, nulla quæ tam audeat de suis meritis & dignitate gloriari, quæ cum Complutensi aut de magistrorum excellentia, aut de optimarum artium studijs, aut recta iuventutis institutione, ingeniorum præstantia, nobilissimorum adolescentum concursu studiosorum vigilantia, seuera virtutum omnium disciplina, dimicatione sibi suscipiendam esse putet. Cum illud sit iam apud omnes gentes & nationes in confesso, nostram hanc cæteris, omnibus alijs ornamentis parem esse, illo verò longè superiorem, quòd ad fidei propugnatione, ad tuendas ecclesiasticas cæremonias, ad ea defendenda quæ à veteribus illis patribus ad nos vsque traducta sunt, non supercilio si tantum & barbati Theologi, verum pubescentes adhuc iuvenes non modò excubias & custodias, sed suorum etiam



etiam laterum et corporum oppositus  
polliceantur.

## Sextum progymnasma rhetoricum.

### De vituperatione.



Vituperatio laudi cō  
traria, est oratio  
amplificans res ma  
las, quas inesse cer  
tæ personæ conten  
dimus. Differt à lo  
co communi, quòd

locus cōmunis pœnas exposcit, & sup  
plicia, vituperatio verò tantùm habet  
nudum conuitium, & flagitiosos ho  
mines maledictis laceffit. Possunt autē  
vituperari eadem omnia, quæ laudibus  
exornari solent. Personæ, vt Phalaris  
Agrigentinus. Res, vt vinolentia. Tē  
pora, vt hyems. Loca, vt Euxinus. Bru

ta animalia, vt Crocodilus. Plantæ, vt Crambe. Fieri autem id solet aut generatim, vt si crudelitatem ipsam vituperes: aut speciatim, ut si Neronem, Dionysium, Alexandrum Pheræum, aut alium quempiam ex immanissimis tyrannis.

### Vituperationis tractatio.

**V**ituperatio iisdem capitibus tractatur, quibus laus, sed in contrarium sumptis, ad ostendendam rei alicuius aut personæ fœditatem, aut incommoda, quæ à tempore, loco, brutis animalibus, & plantis, nobis ipsis contigerunt.

Vituperatio Dionysij iunioris Syracusarum tyranni.

Exordium.

Quem



**Q**uemadmodum qui sese to-  
 tos virtutum studijs conse-  
 crarunt, digni sunt, vt in  
 ipsorum laude amplifican-  
 da eloquentissimorum hominum cala-  
 mus exerceatur, sic qui se ipsos ita com-  
 pararunt, vt libidini, auaritiæ, iracun-  
 diæ, ferociæ, dedecori ac turpitudini  
 improbissimis dominis inserviant, ig-  
 nominijs omnibus appetendi sunt. In  
 quorum numero habendus est Diony-  
 sius Syracusarum tyrannus, qui sub ho-  
 minis figura tam immanem & ferinũ  
 animum gestabat, vt nihil ardentius  
 quàm humanum sanguinem sitierit, vs-  
 que ad eò vt eius sit præter ceteros no-  
 bilitata crudelitas.

### A patria.

**P**atriam habuit Syracusas, græca-  
 rum vrbiũ maximã pulcherrimam  
 quæ omnium, quæ cum manu muni-  
 tissima

Cicero or-  
 atione 6.  
 in Verre.



tissima esset, tum loci natura terra ac mari claudebatur. Ea tanta est vrbs, vt ex quatuor vrbibus maximis constare dicatur: quarum vna, insula est, quæ duobus portibus cincta in vtriusq; est portus ostium aditūq; proiecta. In hac sunt ædes sacræ complures, sed duæ lōgè cæteris omnibus antecellunt, Dianæ vna, altera Mineruæ inaugurata. In hac insula extrema est fons aquæ dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus pisciū qui fluctu totus operiretur, nisi munitione ac mole lapidum à mari disunctus esset. Altera est autem vrbs Syracusis, cui nomen Acradina est, in qua forum maximum, pulcherrimæ porticus, ornatissimum Prytaneum, amplissima est curia, templūq; egregium Iouis Olympij: cæteraq; vrbis partes vna lata via perpetua, multisq; tranuersis diuisæ, priuatis ædificijs continentur. Tertia est vrbs, quæ quòd in ea parte fortunę fanum antiquum fuit.

Tyche

Tyche nominata est, quæ & gymnasiū amplissimum habet, & numerosam ciuium frequētiā. Quarta quia postrema ædificata est, Neapolis nominatur, in qua Theatrum est maximum, duo præterea templa, Cereris vnum, alterum Liberæ, magno sumptu, apparatu & Dædaleo artificio varijs elaborata picturis. Hanc igitur urbem ædificiorum sacrarumque ædium magnificentia, & humanissimis ciuium moribus insignem Dionysius nomine barbariæ & crudelitatis infamauit. Et quòd alumnū tanta immanitate efferatū genuerint Syracusæ, omnium scriptorū voluminibus foedissimè proscinduntur.

### A maioribus.

**P**Atrem habuit superiorē illū Dionysium, sacrilegum, deorum omnium contempторē, qui que voluptatis loco duceret, res sacras per iocū summūque ludibriū passim profanare, & eum ci-

**P** **bum**

Exercitationes.

Val. Ma  
xi. li. 1. c. 2  
de negle-  
cta reli-  
gione.

burn ac potum suauissimum existima-  
ret, si suorum carnibus ac sanguine pa-  
sceretur. Quos mores tã irreligiosos,  
tam feros, tã inhumanos innatos fuis-  
se Dionýsio apposita declarabunt exẽ  
pla. Cũ fanũ Proserpinæ Locris ex-  
poliasset & per altũ secundo vento clas-  
se ueheretur, in maximum risum & ca-  
chinnum solutus, amicis, videtis ne,  
inquit, quã prospera & cõmoda na-  
uigatio à dijs immortalibus sacrilegis  
tribuatur? Detraçto etiam Ioui Olym-  
pio magni ponderis aureo amiculo, in-  
iectoq; ei laneo pallio dixit, æstate  
graue esse amiculum aureum, hyeme  
frigidum, laneum autem ad vtrumq;  
tempus anni accomodatius. Idem Epi-  
dauri Aesculapio barbam auream de-  
trahi iussit, quòd affirmaret non con-  
uenire patrem Apollinem imberbem,  
ipsum verò conspici barbatũ. Idẽ præ-  
tereà mensas argenteas atq; aureas è fa-  
nis sustulit, quòd q; in his more grẽcię  
scriptũ erat, bonorũ deorũ eas esse, vt  
se bo



se bonitate eorum prædicauit. Quid?  
quòd tantam in subditos exercuit cru-  
delitatem, vt nemini suorum fideret,  
sed tanto cruciatu timoris angeretur,  
vt cultros metuens tonsorios, canden-  
ti carbone sibi barbam & capillu pro-  
prijs manib<sup>9</sup> adureret. Vt itio igitur ver-  
tendum Dionýsio est, talẽ parentẽ ha-  
buisse, qui fuerit ex omnium scelerum  
colluione natus.

### Ab educatione.

**I**N patris igitur schola filius educat<sup>9</sup>,  
sitiienti animo paternam imbibit dis-  
ciplinam, atq; ita eius effinxit mores,  
vt eiusdem tyrannidis imaginem tri-  
sti ac feroci vultu repræsentaret. Et li-  
cet Platonis summi ac præstâtissimi  
philosophi auditor fuerit, quæcunque  
è diuinis illis fontibus hausit documẽ-  
ta, in suorum exitium, pestem, & in-  
terneccionem conuertit.

Exercitationes.

A rebus gestis.

**C**Um in demortui patris locum successisset, et Syracusanam imperii clauem temperaret, nihil habuit prius aut antiquius, quam ut nativam uilam salutem, quam cum nutricis lacte biberat, & ad quam fuerat patrijs exemplis & adhortationibus institutus, in suos ceu immanis quaedam & truculenta bestia despumaret. Et principio fratribus ac propinquis, quos metuebat, morte, quae omnem poenae & supplicij atrocitatem contineret, de medio sublatis, in ceteros paulatim grassatus est, ne ullus inter subditos reperiretur, quem pestifer ille cancer sua contagione non euertiret, & latius in dies serpens non foedissimè corrumperet. Cum igitur ciuitatem Syracusanam nobilissimorum ciuium caedibus repleisset, & reliquam uulgifecem eadem mortis conditio expectaret, concitatae multitudinis conspi-  
ratio

ratione Syracusis expullus est. Interie-  
ctu temporis iterum receptus, cū pro-  
fundendi sanguinis cupiditate vehe-  
mentius incenderetur, rursus extorris  
Corinthum in exilium proficiscitur,  
vbi sordidissimo vitę genere implica-  
tus, in popinis & lupanaribus dies &  
noctes desidebat, ita vt contemnendus  
magis quā metuendus videretur. No-  
uissimē se ludi magistrū professus, pue-  
ros in triuiis primas literas edocebat,  
vt quoniam viris imperare non pote-  
rat, supra pueros saltem imperium &  
dominationem teneret.

### A comparatione.

**C**Rudeles quidem fuerunt, Busyris  
in Aegypto, Pisistratus Athenis,  
Periāder Corinthi, Policrates in Samo  
Aristagoras Miletī, quorum feritas est  
tum gręcorum tum Romanorum scri-  
ptis illustrata: verum longē crudelior  
Dionysius in Sicilia, qui non in vnum



## Exercitationes

aut alterū, vt ceteri, scirebat, sed vniuersos ciues eodem genere mortis cōpledebatur.

## Epilogus.

**S**ed finis iam sit, ne tot Dionysij scelibus & flagitijs recēsendis nostra conspurcetur oratio.

## Septimū progymnasma rhetoricum.

### De comparatione.



Comparatio est oratio res diuersas inter se cōmittens, vt ex collatione, altera maior ostendatur, aut eidem æqualis. Differt ab ea, quæ inter schemata sententiarum à rhetoribus numeratur, quòd

quòd in hac de qua agimus comparatione, singula singulis, in contentione verò vniuersa vniuersis componuntur. Vnde fit, vt contentio illa rhetorica breuis quædam exornatio sit, comparatio verò cum exercitationis studio suscipitur, instar laudis vel vituperationis fusiùs tractari solet. Comparantur autè vel similia similibus, vt si leonè leoni, hominè homini conferas. Vel diuersa diuersis, vt si fortem imperatorem leoni. Vel bona bonis, vt si sapiètiæ fortitudinem compares, iustitiam pietati. Vel mala malis, vt si ebrietas cum adulterio conferatur. Vel bona malis, vt si sapientia cum stultitia, pax cum discordia. Bonitas enim ex malorum comparatione multò solet magis enitescere. Vel mala bonis è contrario. Vel minora cum maioribus, vt si muscam cum Elephanto. vel maiora cum minoribus, vt si Gigas cum Pygmæo.

Comparari verò omnia possunt,

## Exercitationes

quę laudari, quęq; vituperari, personę,  
res, tempora, loci, expertia rationis a  
nimalia, plantę.

Obferuabis tamen duo in cōpara-  
tione diligenter & attentē. Vnum, ne  
res totas totis cōferas, vt caput Demo-  
sthenis cum capite Ciceronis, hume-  
ros cum humeris, manus cū manibus,  
pedes cū pedibus: id enim planē supinū  
fit, atque infirmum: sed potiūs secun-  
dū locos generis demonstratiui, cōpa-  
rabis genus Demosthenis cum genere  
Ciceronis, patriā cum patria, educatio-  
nē cū educatione, res gestas cū rebus  
gestis.

Neque enim omnia comparationis  
capita semper profunt, sed multo gra-  
rius & iucundius est aduersarios in me-  
dio cursu certantes videre, cū alter  
alterum modo anteuertit, modo sequi-  
tur, quā ad metam tantū intentis  
animis concurrentes. Conferes igitur  
capita tantū capitibus sigillatim &  
distinctē, adhibitis etiam conclusioni-  
bus



bus ad singulas comparationis partes, vt differentia rei alterius ab altera maximè appareat & elucescat. Alterum verò sit, omnem comparationē ex eodem fonte petendam non esse: nam si volueris homines inter se comparare, patriam conferes cū patria, genus cū genere, victum cū victu, professionē cum professione, gesta cū gestis, & ea quæ accidunt extrinsecus, vt diuersos mortis modos, & ea quæ eā sunt consecuta. Si arbores, conferes etiā præsidētia eis numina, & loca in quibus nascuntur, & fructus, & vtilitatē, & reliqua his similia. Res quoq; si compares, eos extolles, qui primi eas inuenerint, eosdēque inter se conferes.

### Tractatio cōparationis.

Constat cōparationis tractatio eisdem capitibus, quibus laus, Proœmio, patria, maioribus, educatione, rebus gestis, epilogo.

Comparatio Solonis, & Lycurgi, quorum alter Atheniensium, alter Lacedæmoniorum fuit legis lator.

### Proœmium.

**V**anquam virtutes ipsæ per se tantum habent honestatis, ut eis nulla aut gloriæ aut celebritatis accessio fieri posse videatur, comparatæ tamen maiorem in hominum animis admirabilitatem faciunt. Quod si hi nõ parvam laudẽ aut cõmendationem merentur, qui diuinorum ingeniorum excellentia, cæterarumq; rerũ pulcherrimarũ claritate pares eminuerunt, non vulgare sibi ipsis vëdicant Solon, & Lycur

Lycurgus, quos natura omnibus ornamentis & decoribus similes produxit, ut reliqui mortales eorū exemplo solidam & expressam virtutum omnium effigiem tenerent, & in eius cupiditatem mirabiliter exardescerent.

### A patria.

**P**Atria nati sunt non eadē, sed de qua uterq; possit non immeritō gloriari. Fuit enim Solon Salaminus, Lycurgus Spartiata, quæ duo loca ad heroas fortissimos & totius nobilitatis & sapientiæ principes referunt suæ originis & fūdationis principia. Et ex his innumerabiles viri prodierunt, tanta animi magnitudine & celsitate præditi, ut res difficiles & periculosas passim aggredierentur, & ad quoslibet dolorum morsus & cruciatus perferendos alacres & infractos spiritus haberent. Quòd si solum natalitium aliquod habet ad laudis &

glo.

Plutarch<sup>us</sup>  
in Solone  
& I<sup>n</sup>ci<sup>us</sup>  
go.



## Exercitationes

gloriæ amplitudinē momentū, nihil quidem hac in parte Soloni posthabēdus est Lycurgus.

### A maioribus.

**N**Ati igitur ambo in præclara patria parem habuerunt generis & familiæ honestatem. Patrem sortitus est Solon Execestidam, quī licet medium ciuium ordinem obtinuerit, natalium tamen splendore, & fumosis imaginibus reliquis municipibus præstabat: à Codro enim sui sanguinis vetustatem repetebat. Mater illi contigit Pisistrati Athenarum tyranni consobrina. Qua ex re factum est, vt Solon Pisistrato familiarissimè vteretur, & cū temporam intercurfu de republica in dissensionem venissent, alter de altero nihil durum, acerbum, aut inhumanum statueret, sed eadem amicitia iura in eorum animis manerent inuiolata. Tantum apud eos prioris necessitudinis &

gratiæ recordatio valuit, vt incensam  
adulto & corroborato igni facem per  
petuò seruarent. Lycurgus etiã patrẽ  
habuit Eunomũ Lacedemoniorũ regẽ,  
matrem Dionassam, nobile in primis  
fœminam, & claris parẽtibus oriundã.  
Eos verò maiores habuit, qui sui gene-  
ris seriem ab Hercule recensebant, &  
sefe ab eo vndecimos esse, superbẽ & in-  
solenter iactitabãt. Quare nõ est, quòd  
parentum aut maiorum gloria, Soloni  
postponatur Lycurgus.

### Ab educatione.

**C**Vm igitur ambo talibus essent pa-  
rẽtibus & maioribus procreati, ita  
sunt iam inde à pueris recta pẽdagogo-  
rum disciplina instituti, vt omnibus  
naturæ blanditijs & corporis volupta-  
tibus repudiatis, solas prudentiæ leges  
perdiscerent, & in iustitiæ & æqualita-  
tis studio totis conatibus desudarent,  
donec tandem in tam excellentes vi-

## Exercitationes

ros decursu temporis euaserunt, vt innumera pereos cōmoda & emolumēta fuerint rebus publicis & communitatis rationibus importata. Similis itaq; educatio similem vtriq; laudem & gloriam conciliat.

### A rebus gestis.

**P**ostquam autem plus roboris ætati accessit, & animos habuerunt consilio & ratione firmatos, ad rempublicā communis salutis & libertatis conseruandę studio, seipfos contulerūt. Et principio Solon, qui vnus fuit ex septem Græcię sapientibus iudicatus, Atheniensibus leges dedit, tanta moderatione & temperamento compositas, vt parem à senatu & plebe gratiam fuerit aucupatus, cum prius intestinis discordijs, & domesticis seditionibus tumultuarentur. Draconis autem leges (his tantum exceptis quę in homicidas poenas statuebant



bant) quòd iusto atrociores videren-  
tur, omnes abrogavit, atq; ob ma-  
gnitudinem pœnarum antiquandas  
curavit: nam vna omnibus pœna cõ-  
stituta erat, vt etiam qui otij damnati  
essent, aut qui olera furrupissent, capi-  
te plecterentur: ob quam causam De-  
mades dicere solebat, Draconem non  
atramento, sed sanguine leges suas  
scripsisse. Cùm igitur Pisistratus qui  
Soloni erat arctissimo propinquitat-  
is gradu coniunctus, Atheniensem  
republicam per tyrannidem & vio-  
lentiam oppressisset, Solon ne tot  
turbines & procellas Athenien-  
sium capitibus impendentes vide-  
ret, celsit sua sponte in Aegyp-  
tum, Cyprum, Ciliciam, donec  
tandem in Cyprio annos octogin-  
ta natus è corporis vinculis ceu  
è carcere quodam & ergastulo  
euolauit. Mandauit sua ossa Sa-  
minem transferri, ibique per vni-  
uersos eius regionis terminos projci  
ac dif

## Exercitationes .

ac dissipari, ne Athenas inferrentur, quoniam discedens iureiurâdo ciues adegerat, nō antiquatuos leges suas, donec rediret. Cū igitur Athenienses legibus à Solone sancitis in gubernanda republica vterentur, ita præter ceteros floruerūt, vt nulla esset natio tã remota, tamq̃; ab eorū finibus seiuncta, quæ tam salutares leges in publicos excipere cōmentarios non curaret, quibus suam republicã firmam stabilẽq̃; futuram confideret. Quid? non ne præclarum eiusdem factum, ( vt reliqua taceamus) dignum est, vt in omni memoria certa & constante laude celebretur? Nam cū Athenienses ex graui diuturnoq̃; bello, quod cum Megarenſibus pro Salamine insula gesserant, vires haberent infractas, & capitale apud eos esse cœpisset, si quis legẽ de vindicãda insula ferre auderet, eam maculam superioribus bellis susceptã quæ iam pridem in Atheniensis populi nomine penitus insederat atq̃; inue-

teraue-

terauerat, eluere curauit Soló. Et cùm  
intueretur iuuentutem omnem ad bel-  
lum ceu subditis facibus inflammari,  
sed ducem ei & impulsorem deesse, fu-  
rere se simulauit, & huius infaniæ at-  
que furoris rumor ex eius domo per to-  
tam urbem dissipatus est, cœpitq; qui-  
busdã recitatis carminibus iuuenes ad  
bellum contra Megarenses redintegrã-  
dum adhortari, cui cùm præfectus es-  
set, in Coliadem magnis itineribus ad-  
nauigauit, vbi cùm mulieres omnes of-  
fendisset sacra Ceteri patrio ritu per-  
soluentes, hominem fidum qui se trãs-  
fugam simularet, Salaminẽ misit, qui  
Megarẽses moneret, si primarias Athe-  
nienũum fœminas capere vellent, in  
Coliadem quàm celerrime nauigarẽt.  
Cùm verò huiusmodi nuntium gratũ  
& periuicundum Megarensibus fuisset,  
eò suos duces & præfectos miserunt,  
quos vbi conspexit Solon ab insula eò  
contendere, mulieres longè abire ius-  
sit, & ex iuuenibus impuberes delegit,

Q quo



Exercitationes

quorum barbam nondum prima lanugo vestiuiſſet, & cùm eos mulierũ veſtitu, mitris, & calciamentiſ ornaſſet, gladios paruos, quibus cominus vti poſſent, occultos habere, atque ita inſtructos ludere in littore, & choreas ducere imperauit, quoad hoſtes deſcenderent, & capiendi nauigij facultatem præberent. Quibus ita diſpoſitis, aſpectu decepti Megarenſes, cùm ſe propius admouiſſent, exilientes veluti in mulieres ſubitò inuaferũt, certatim illi ne quis effugeret, ſed omnes caperentur, contendebant: mox Athenieſes inſtructa claſſe in ſulam inuadentes, in ſuam ditionem & poteſtatem redegerunt.

Iam verò Lycurgus tã ſanctis fuit moribus, tanta vitæ innocentia & animi candore, vt cùm Polydectæ fratri in regni poſſeſſionem ſucceſſiſſet, ignarus Polydectem vxorem grauidam reliquiſſe, poſtquàm id reſciuit, depoſito regiſ nomine, Prodicũ, hoc eſt,

est, tutoris nomen assumpserit, regi-  
que adulto regnum fideliter resti-  
tuerit. Verum cum patriam Spar-  
tam pessime institutam animaduer-  
teret, ad formandam salubrioribus  
legibus rempublicam animum ad-  
iecit. Conscriptis itaque his, quæ lon-  
ga ac laboriosa peregrinatione ci-  
uitati utilia fore didicerat, Del-  
phos sese contulit, ut Apollinis  
consilium in re tam sancta, tam-  
que omnibus necessaria diligenter  
perscrutaretur. Cumque pythia con-  
siliium eius à Phœbo maxime pro-  
bati, Dei que potius quam hominis  
inuentum esse respondisset, alacrior  
ad peragendum institutum factus,  
foro aliquot armatis occupato, le-  
ges suas perferendas ac promulgan-  
das curavit. Quibus cum iam ciues me-  
diocriter assuefactos videret, ut quas  
tulerat leges, æternas quoque redderet,  
hanc rationem commentus est. Si-  
mulat arduum adhuc quiddam su-

Exercitationes

peresse, quod ad ciuitatis salutem pertineret, quod tamen inconsulto oraculo aggradiendum non esset, eaque de causa se Delphos proficisci uelle. Interim tamen reip. interesse, ut leges quemadmodum latae erant, in reditum suum inuiolatae seruarentur, idque ita futurum, primum a regibus, deinde a caeteris omnibus iusiurandum exegit. Profectus Delphos cum Pythiam respondentem audisset, nihil legibus illis absolutius inueniri aut excogitari potuisse, felicissimamque fore ciuitatem eam, in qua illae quam diutissime seruarentur, constituit sibi amplius in patriam non esse redeundum, ne illi aliquando iuriurando soluti leges suas repudiarent. Misso itaque Spartam oraculo, amicosque itineris comites amplexus, iisque dimissis, Cyrrham concessit, ubi mortis violentia de medio raptus est. Spartani mortuo sacellum consecrarunt, & ob singularia eius in patriam merita publico omnium consensu diuinos hono-



res tribuerunt. Floruit autem in maxima semper laude Sparta, quandiu Lycurgi legibus obtemperauit. Cùm verò Ephori, qui quidem magistratus erat è plebe, omnia priuata utilitate metiri cœperunt, mala quamplurima ciuibus suis inuexerunt, & teterrimam patriæ perniciem machinati sunt: neque enim est aliud leges, quibus publica certè salus continetur, labefactare & infringere, quàm vniuersam rempublicam iugulare. Cùm autem Lycurgus vniuersos ciues ad industriam, virtutem, & morum seueritatem sanctissimis legibus instruxisset. Ephori multis post annis quæstus & voluptatis gratia (quæ duæ sunt maximæ omnium rerum publicarum pestes) inclytas illas leges sustulerunt. Quo facto Spartana illa virtus subito extincta est.

Cùm verò reges aliqui voluissent Lycurgi leges constituere, ciuiumq; mores in antiquam disciplinam reuocare, fuerunt ab Ephoris indignissimè tru-

## Exercitationes

cidati. Ita factū est, vt ciuitas illa, quę Heraclidarum ductu & auspicio, optimatūque sapientia, tam multos annos imperiū habuerat, & incredibili virtute atque fide Græcię libertatē defenderat, insanę plebis opera crudeli tyrānorum dominatu premeretur. Præclara igitur gesta & mors pro patrię salute & libertate suscepta parem Soloni & Lycurgo laudem & immortalitatem pepererunt, quæq; sempiterno posteritatis præconio celebrari mereatur.

## Epilogus.

**P**Lura erant, quæ de vtriusque virtutibus, & rebus fortiter & animosè gestis dici possent, nisi quemadmodum in his sic etiam in reliquis pares essent, quare cætera futuris scriptoribus publicis annalibus consignanda relinquamus.

Octauū progymnasma  
rhetoricum.

De descriptione.



Vidam (vt Priscianus au-  
tor est) descriptionē in præ-  
exercitamentis non posue-  
runt, quòd præoccupata sit  
& in fabula & in narratio-  
ne, in quibus etiam describuntur per-  
sonæ, loca, tempora, res. Sed quoniã  
eloquentissimi viri eandem, vt ad  
ingenia exercenda commodissimã tra-  
diderunt inter progymnasmata, scor-  
sumque tractandam prodiderunt, non  
incongruum fuerit eos imitari. Neque  
immeritò sanè, nam licet descriptio e-  
iusdem generis esse videatur cū narra-  
tione, ab ea tamē differt, quòd narra-  
tio est facti expositio, descriptio ve-  
rò substantiæ, per partes, & ea quæ

Q 4 ipsi



## Exercitationes.

ipsi propriè videntur accidere. In nar-  
 ratione ordine plura enumerantur fa-  
 cta: in descriptione vnius rei partes e-  
 narratur, quemadmodum re ipsa exi-  
 stunt, additis etias his quæ propositam  
 substantiam aliquo modo cõtingunt.  
 Est igitur descriptio, oratio repræsen-  
 tans oculis quod demonstrat. Qua to-  
 ta rerum, de quibus agitur, imago ita  
 depingitur, vt non describi res, sed ge-  
 ri ante oculos videatur. Hanc alij Hy-  
 potyposim, Enargiam, euidenciam, re-  
 præsentationem vocant: cùm vel am-  
 plicandi, vel ornandi, vel delectan-  
 di gratia, rem non simpliciter exponi-  
 mus, sed ceu coloribus expressam in ta-  
 bula spectandam proponimus, vt nos  
 depinxisse, non narrasse, lector spectas-  
 se, non legisse videatur. Id ita præsta-  
 re poterimus, si prius ipsi totam rei na-  
 turam, omnesq; circumstantias ac ve-  
 lutifaciem animo lustremus. deinde  
 ita verbis ac figuris idoneis affingam⁹  
 vt quàm maximè fiat euidentis perspi-

cuaq; lectori.

Describuntur autem ea omnia quæ laudari, vituperari, aut cõparari solēt. Personæ, res, tempora, loci, bruta animalia, plantæ. Ac primùm quidē personarum descriptio, quam Prosopographiam appellant, fit, cùm depingimus personam amantis, luxuriosi, auari, voracis, temulenti, somniculosi, inuidi, sycophantæ, parasiti, lenonis, garuli, aut gloriosi ostentatoris.

Describuntur res, cùm id quod fit, aut factum est, non summatim ac tenuiter exponimus, sed omnibus fucatum coloribus ob oculos ponimus, vt auditorem siue lectorem iam extra se positum velut in Theatrũ auocemus. Hanc rerum descriptionem Hypotyposim græci vocant, veluti si quis expugnatam ciuitatem dicat, cuncta nimirùm in summa complectitur, quæcũque talis fortuna recipit. At si aperias hæc, quæ verbo vno inclusa erant, apparebunt effuse per domos ac templa

Qs

flam.

## Exercitationes.

flammę, & ruentium tectorum fragor,  
& ex diuersis clamoribus vnus quidã  
sonus, aliorum fuga incerta, alij in ex  
tremo complexu suorum coherentes,  
& infantium fœminarumque plorat<sup>9</sup>,  
malè vsque in illum diem seruati fato  
senes. Tum illa profanorum sacrorũ  
que direptio, efferentium prædas repe  
tentiumque discursus, & ante suũ quis  
que prædonem catenati, & conata reti  
nere infantem suum mater, & sicubi  
maius lucrum est, pugna inter victo  
res. Licet enim hæc omnia complecta  
tur euersio, minus est tamen totum di  
cere, quàm omnia.

Temporum descriptionem Chrono  
graphiam Græci appellant. Hæc non  
nunquam delectandi duntaxat gratia  
adhibetur: veluti quoties poëtæ diem,  
noctem, auroram, aut crepusculum ex  
primunt. Sæpius amplificandi cau  
sa assumitur, quod genus est illa ver  
giliana. 4. Aeneidos.



Nox erat, & placidum carpebant fessa soporæ  
 corpora per terras, syluæq; & seua quierāt  
 æquora, cū medio uoluuntur sydera lapsu,  
 cū tacet oīs ager, pecudes, pictæq; uolucres,  
 quæq; lacus latè liquidos, quæq; aspera dumis  
 rura tenent, somno posite sub nocte silenti  
 lenibant curas, & corda oblita laborum.

Pertinet enim hæc descriptio noctur-  
 næ quietis ad amplificandum Dido-  
 nis dolorem, quæ ne tum quidem con-  
 quiescebat, cū omnia cætera quiete  
 agerent: nam mox sequitur.

*At non infelix animum Phenissa, nec unquam  
 Soluitur in somnos.*

Locupletatur etiam oratio locorum  
 descriptionibus, quas Græci Topo-  
 graphias appellāt: huius generis est, quo  
 ties tota loci facies ueluti spectanda de-  
 pingitur: ut urbis, mōtis, regionis, flu-  
 minis, portus, uillæ, hortorū, amphithea-  
 tri, fontis, specus, tēpli, luci. Quæ si ueræ  
 sint, Topographias appellari uolūt: sin-  
 fictæ, Topothesias. Harum descrip-  
 tionū

Exercitationes.

tionum omniū aliæ sunt simplices, vt quæ pedestres, vel nauales explicāt pugnas. aliæ compositæ, vt quæ res pariter temporaq; coniūgunt, vt si nocturnam pugnam describas, qualem Pompeius cum Mithridate rege Ponti gessit. in qua ita aciem constituit, vt Ponticorum oculos aduersa luna perstringeret, suis autem illustrem & perspicuum præberet hostem.

Illud postremò obseruabis, vt si personā descripseris, à summis ad ima progrediaris, id est, à capite ad pedes. Si res, ab antecedētibus & eis quæ insunt ipsis, quæq; ex ipsis solēt prouenire. Si tempora, & loca, ab his quæ ipsis continentur. De personis, vt si dixeris: totus animo & corpore monstrum est: nā quācunq; vel animi vel corporis partē contēpleris, monstrū reperies. Ingeniū excute, prodigium inuenies: mores expende, vitā scrutare, omnia mōstrosa comperies. oculos, os, vultum, totā deniq; corporis figuram inspice,  
 quid

quid aliud quàm mōstrū præ se ferunt? Linguam, & vocē belluinam illā obserua, portentū dices: pectus, ventrē, pedes considera, quid aliud quàm bestiā pronuntiabis? De rebus, vt si Carthaginē expugnatā velis describere, proteres omnia, quæ præcesserunt, deinde omnia, quæ in expugnatione contigerunt, postremo quæ subsequuta fuerunt. De temporibus & locis, vt si noctem describas, dices ipsam aut fœdissimis tempestatibus obnubilatam fuisse, aut stellis splendentibus claram. Si urbem, depinges operosa illa ædificia, & nimio sumptu & impensa artificū manibus affabrè facta, templorū magnificentiam, vias planas & vndiq; patētes, loci, in quo ædificata est, salubritatē, feracitatem agrorum, amœnissimos camporum prospectus, ciuiū suauissimos mores, præclaram rei publicę totiusque communitatis gubernationē & id genus cætera, quibus ciuitas illustrari solet, & spectantium omnium animis



Exercitationes  
animis mirationem facere.

Descriptio scelerati hominis  
ex corporis linea  
mentis.



Considerate, quæso, patres hominem, si nõ no-  
stis, & ab imis vnguibus vsq; ad verticē sum-  
mum attētis oculis per-  
lustrate: & si quam coniecturā affert  
hominibus tacita corporis figura, ex  
fraude, fallacijs, mendacijs, sceleribus,  
vitijs agminibus cōstare totū iudi-  
cabit. Nonne ipsum caput & superci-  
lia illa penitus abrafa ofēre libidinem,  
& in meretricia schola ætatem contri-  
uisse videntur clamitare? Cū lupa-  
rū amoribus implicatus pilos omnes  
amiserit, neque vllum in eo viri probi  
aut honesti vestigiū remāserit? Quid?  
Oculi truces, & facies tœda cicatrice  
deformata, nonne feritatem sonant,  
& sica-

& sicariorum gregibus stipatum, dum alijs vitam, suauissimamq; lucem eripere conatur, luculentam illam plagã accepisse? Iam vero dentes putidi, & grauius olens spiritus, quid aliud demonstrant, quam animum peccatorũ sordibus inquinatum, & conuictores tetro vitæ odore corrupetẽ? Quid pinguis venter et obtorta crura, nõne indicant ipsum crapulæ turpissimum esse mancipium, & ab omni virtutis et officij ratione cum summo dedecore deflexisse? Taceo cætera, ne tantorũ vitiorum & turpitudinum commemoratione noster animus inficiatur.

### Descriptio discordiæ.

**N**ihil est seuerissimi patres ad stabilendas communitatis rationes concordia præstantius, nihil ad subuertendas ciuium fortunas animorum dissensione perniciosius. Vnde Censorius ille Cato, intestinas  
dome

Exercitationes.

domesticasque factiones ciuitatis venenum appellabat, & Marcus Agrippa se multum debere Sallustianæ sententiæ sapiensimè professus est, cum dixit, paruas res concordia crescere, discordia maximas dilabi. Multæ olim florētissimæ respUBLICÆ, quod huiusmodi seditionibus tumultuarentur, interierūt. Nec mirū, versabatur enim inter ciues discordia, quæ quanta damna ac detrimenta secū importaret, ex eiusdē imagine cognoscite. Erat eius effigies humani sanguinis resperione foedata, æstro quodam ac præcipiti furore percitata proprios crines ac vestes lacerabat, oculos habebat multis lachrymis madētes, linguam venenatis draconibus inuolutam, dentes dentibus demorsos ac postremò dextra vibrabat hastā sanguineam, & tãquã furia innumeris circumplicata serpentibus accensas faces intentabat. Quæ pictura significat, homines simultatibus partim apertis partim obscuris discordantes, cū pri-

mum



mum in furorem ac rabiem conuertuntur, non posse nisi aduersariorum sanguine ardentem sitim restinguere : & eosdem inusitato quodam genere crudelitatis efferatos , acerbitalis suæ virus in hostes foras proijcere, & venenum pestilentissimum euomere: dum non verentur alienæ religionis & sanctimonie dignitatem turpi verborum maledicentia funestare: & tandem aliorum prosperitatibus inuidentes, seuerissimis doloris ac tormentorum cruciamentis excarnificari , quâdiu non possunt amplissima inimicorum patrimonia suppilare, florêtes euertere fortúas, & eorú excellentiam humi prostratam pessundare.

## Nonum progymnasma

rhetoricum.

### De Thesi.

R

The-

Exercitationes



**Q**uesitio est generalis  
 rei alicuius delibera-  
 tio, ad nullam certā  
 personā pertinens:  
 vt, an expetēda sit  
 eloquentia, an appe-  
 tendi sint honores,  
 Hac varia sortitur nomina. Principiō  
 appellatur quæstio infinita, quōd nul-  
 lis aut personarū, aut tēporum, aut lo-  
 corū circumstātijs implicata sit, qua de  
 causa à quibusdā quæstio vniuersalis  
 & philosopho digna dicta est, quōd de  
 vniuersa sit natura, ac genere ipso, &  
 eius tractatio philosophorū propria sit  
 Cicero in partitione oratoria cōsul-  
 tationē vocat, & propositū in Topicis:  
 consultationē quidē, quōd ad eā finita  
 quæstio referenda sit, & ex eius cōsul-  
 tatione statuēda: vt si probare velis, v-  
 trūm licuerit Oresti matrē interficere,  
 probare prius debeas, an liceat indem-  
 natū aliquē nō spectato iudicio senatus  
 interimere. Propositum verò, quōd in  
 dispu-

disputationem proponatur. Athenæus partem causæ appellat, quoniam tota causa ad eam reuocari debet. Græco vocabulo dicta est Thesis, quæ vox positionem sonat, ac propterea Priscianus ceu fidus interpretis verbum verbo reddens, positionem vocauit.

Est autem Thesis duplex, altera actionis, altera cognitionis: actionis, quæ ad solam actionem refertur: vt, an ducenda sit vxor, an bellum sit gerendum, an nauigandum sit. Cognitionis, quæ sola rei cognitione contenta est: vt, an rotundum sit calum, an aliquid à seipso moueri possit, an plures sint mundi, sint ne Antipodes, an mundus sit sempiternus. Præterea Thesicon alix simplices, alix compositæ: simplices, vt, an luctatio sit exercenda, an declamandum. Compositæ: vt, an palestra exercenda potius, quam agricultura, an declamandum sit ex chartis, an memoriter potius cum



## Exercitationes

decora vultus atq; gestus moderatione  
Oportet enim ab altero dehortari in  
alterum hortantem.

Differt Thesis à loco cõmuni, quòd  
locus communis est conuictæ & ma-  
nifestæ rei exaggeratio, positio autem  
dubiæ rei quæstio. Assumitur enim lo-  
cus cõmunis ad amplificandam & au-  
gendam causam, Thesis ad explican-  
dam & probandam. Et locus commu-  
nis quasi certa re declamatur, The-  
sis disputatur & disseritur: denique ille  
affectuum, hæc considerationis est.

Differt præterea Thesis ab Hypo-  
thesi, nam Hypothesis est quæstio cer-  
tis quibusdam personarum, locorum,  
temporum, & similium circumstantijs  
inuoluta: vt, an Cætoni ducenda sit vxor,  
an Socrati administranda respublica, sit  
ne Cæsari bellum suscipiendum aduer-  
sus Pompeium. Hæc etiam varia sorti-  
tur nomina. Appellatur primùm quæ-  
stio specialis, siue oratore digna, quòd  
non sit de vniuersa re, aut genere ipso,  
sed

sed de specie, & quòd sit oratoris propria.

Hæc Cicero in Partitione oratoria cõtrouersiam, in Topicis causam appellauit: controuersiam quidem, quòd disceptationem in se cõtineat, quæ explicari non possit, nisi ad infinitam referatur. Quî enim constet, bellum esse aduersus Mithridatem gerendum, nisi priùs constiterit bellû esse gerendum? Causam verò, quòd inter disceptandû in causam aliquam incidat, qua sublata, quæstio esse nõ possit. A græcis dicta est Hypothesis, quasi dixeris suppositionem, et Priscianus sic eam est interpretatus.

Harum quæstionum finita ad oratorẽ seu rhetorem spectat, quæ in publico, in curia, in foro, ciuiumquæ disceptationibus versatur. Infinita verò ad dialecticos & philosophos.

Pertinet tamen eo solùm nomine ad oratorẽ, quoniam Hypotheses ad Theses reuocandæ sunt, et omnes causæ

## Exercitationes.

ad vim vniuersi generis referendæ. Nã  
quandiu intra angustias causarum & fi  
nitarum quæstionum versamur, non  
licet latiùs oratione euagari, sed vel  
de his personis duntaxat, vel locis,  
vel temporibus dicendum erit. Quod  
si ab his iniquis spatijs orationem ad  
totius generis vim & naturam per  
tractandam euocemus, iam non hu  
ius vel illius personæ, sed vniuersi  
generis materia & copia impletur o  
ratio. Si dicat Cicero de Verris aua  
ritia, nihil aliud nisi quod per aua  
ritiam ab illo gestum est, possit dice  
re: at verò si auaritiæ morbum & af  
fectum ipsum per se considerauerit,  
de omnibus auaris, de omnibus quæ ef  
ficat auaritia, de omni labe & turpi  
tudine possit amplissimè dicere, & de  
omnibus reis, de omnibus crimini  
bus in vna causa quodãmodo  
licebit cogitare.

## Thesis tractatio.

Con



**C**onstat Theseos tractatio primùm  
 aggressione siue exordio, quod qua-  
 tuor illis capitibus confirmari debet,  
 honesto, iusto, utili, possibili. De-  
 inde incidentes obiectiones refutabis.  
 Postremo vtêris epilogo communibus  
 mortalium omnium moribus accom-  
 modato, qui hortationib<sup>9</sup> potissimùm  
 constabit.

## Exemplum Theseos

An literæ discendæ sint.

Aggressus vice pro  
 æmij



Vi reliquis artium  
 generibus præter-  
 missis, quas vul-  
 gus hominum sedē  
 tarias ap-  
 pellat, in  
 literis &

R 4

opti-

## Exercitationes

optimarum disciplinarum studijs omnē operam ponendam esse iudicauerunt, digni profectò sunt, vt eorum memoria perpetuò uiuat, & nulla intercurrentium temporum iniuria, nulla rerum aut negotiorū vicissitudine ex hominum mentibus extingatur.

### Ab honesto confirmatio.

**Q**uid enim honestius esse potest, quàm vt animus præclaris artibus ingenuisq; doctrinis excolatur? et cum ad diuinæ naturæ similitudinem effectus sit, nullo sordido aut vili artificio à suæ originis nobilitate cum summo dedecore & foeditate desciscat?

### A iusto.

**Q**uid porrò cum iustitiæ excellentia & dignitate copulatus, quàm si quis in literas, & homine libero dignas disciplinas totis conatibus incumberet,

bat? quæ faciunt vt vniuersi ciues eadē iuris æquabilitate contineantur, res publica dulcissimo otio, & tranquilla serenitate perfruatur, & ne dum alteris prodesse cupimus, alteris iniuriam inferamus.

### Ab utili.

**Q**uòd si utilitatem spectandam cēseas, quid quæso literis utili? Quæ turbidos adolescentiæ motus, & furiosos impetus componunt: senibus ad ingrauescentis ætatis labores facilius tolerandos oblectationem quandam et suauitatem pariunt: pauperibus opes suppeditant, opulentis ornamentum: res secundas ac prosperas honestant, aduersis perfugiū ac solatium præbēt: illustri loco natis splendoris magnitudinem augent, obscuris verò hominibus, & ex plebeia fæce oriundis claritatis initia præstare solent.

### A possibili.

R 5 Iam



## Exercitationes.

**I**Am verò nullus est tam duro & a-  
gresti ingenio præditus, qui literas  
multa facilitate perdiscere non pos-  
sit, si modò in his omni excussò tor-  
pore, omnibus naturæ lenocinijs able-  
gatis, elaborandum sibi existimet.  
Nam quæ inertibus, ignavis, & som-  
niculosis hominibus ardua & diffici-  
lia sunt, eadem laboriosis ac vigilanti-  
bus facilia, peruia, & explicata esse so-  
lent.

## Contradictio.

**A**T, inquires, literas in causa esse, vt  
homines languori & otio sese de-  
dant: quod malorum est et peccatorum  
omnium esca.

## Solutio.

**I**Mò nunquam sunt minùs otiosi,  
quàm cùm videntur omni otio dif-  
fluere: nam licet corporis status quie-  
tus

tus sit & tranquillus, animus tamē per  
petuis fluctibus agitur, dum recon-  
dita nature sacramenta perferutatur,  
& his atque alijs rerum naturis perue-  
stigandis intentus est. Quod Publius  
Scipio, qui primus Africanus appella-  
tus est, significare voluit, cūm verbū  
illud frequens in ore gestabat, vt scri-  
ptum reliquit Cato, nunquam se mi-  
nūs otiosum esse, quā cūm otiosus,  
nec minūs solum, quā cum solus ef-  
fet. Præclara profectō vox & ma-  
gno viro ac sapiente digna, quæ demō-  
strat illum & in otio de negotijs cogi-  
tasse, & in solitudine secum loqui soli-  
tum fuisse, vt neque cessaret vnquam,  
& interdum colloquio alterius nō ege-  
ret. Ita duæ res, quæ cæteros ef-  
fœminare solent, illum acue-  
bant, otium & so-  
litude.

### Contradictio.

Estō

## Exercitationes

**E**Stò sanè, verùm solent grauibus periculosisq; morbis studiosos homines affligere.

## Solutio.

**I**Mò nulla præsentior, aut efficacior medicina est ad morbos animorum depellendos, quàm literæ. Hæ nanq; vitiorum radices stirpitus euellût, hominum mentes ad fatus accipiendos præparant, eaq; his feminare solent, quæ cùm primum cœperint adolescere, fertilissimos vberrimosq; fructus ferant. Hæ inanes detrahunt sollicitudines, efrenatas restingunt cupiditates, lasciuientes affectus, & motus corporum rationi repugnantes moderantur. Hæ hominẽ præclaris moribus & præcellentibus viuendi legibus instituunt, vt sit semper contra omnes fortunæ impetus armatus, & ex nullo alio pendeat, sed in seipso potiùs vniuersa ad bene beateque viuendum præsidia constituat.



tuat. Hæ postremò faciunt, vt à rudi & imperita plebecula distinguamur, quæ sordidissimis artificijs implicita, & nimorù neglecta cultura, corporù tantùm vsibus inseruit. Quòd si infestos corpori morbos progignunt, in his tamé vitiorù, quæ mentes interimunt, posita sanatio est.

### Conclusio.

**S**ed reprimam me, nam si vellé vniuersa literarum commoda oratione complecti, tempus me citiùs quàm materia deficeret. Quare omnes in literas alacrioribus animis incumbamus, ex quibus tot tantasq; vtilitates cernimus promanare.

Aliud exemplum Theseos.

Quòd mors malum  
non sit.

Proœmium.

Qui

## Exercitationes



VI mortem in malis ponē-  
dam esse arbitratur, is pro-  
fectò mihi videtur nul-  
lum vnquam habuisse bo-  
norum gustum. Est enim  
bonorum mors malorum omnium  
& miseriarum presentissimum reme-  
dium, naufragiorum portus, postre-  
mus morborum medicus, qui huma-  
na solent corpora infestare. Quòd  
si quæ sint ægrotudines, quæ nulla  
mortalium industria aut ingenio cu-  
rari possint, his omnibus saluberrimam facit medicinam.

## Ab honesto.

QVòd si omne quod bonum est,  
id honestum esse dicitur, quis ne-  
get mortem honestam esse, quæ tot  
vndique bonis & voluptatibus cir-  
cunfluat? & quam post tot fortu-  
næ ful

ne fulgores & tonitrua, post tot turbines & procellas, maxima serenitas consequatur?

### A iusto.

**I**am verò si illa sunt præcipua iustitiæ munera, vt ad nullius personę conditionem siue dignitatem respectum habeat, vnicuique quod suum est elargiatur, rempublicam in otio & tranquillitate constituat: quis neget mortem iustissimam esse, quę regum potentissimorum maiestatem, & humilitatem pauperum equali pede metiatur? quę post corporis ab anima discessum, corpus terrę, ex qua formatum est, restituat, animã verò in cęlitũ conuentũ referat, cum quibus propinquo agnationis & gentilitatis gradu coniuncta est? postremò domesticum illud & plusquàm intestinum carnis & spiritus bellum componat? quandiu enim viuimus, perpetuò ri-



## Exercitationes.

xantur inter se, perpetuò atroces habēt inimicitias & simultates, & caro spiritū suppeditare insidiosis conatib⁹ perpetuò contendit.

### Ab utili.

**Q**uantum verò utilitatis mors afferat, inde perspici facilè potest, quòd homines ab infinitis malis & calamitatibus abducatur, quibus vita discrucuari solet. Nam si singulas ætatis partes diligenter consideres, nulla est, quæ non sit innumeris discriminaibus & fortunæ iactationibus exposita: nulla, quæ non sexcentis morborum generibus impetatur, nulla, cui non horribiles & pertimescendæ rerum aduersarum facies occurrât. Primùm, quàm destituta, & quantis obnoxia periculis infãtia? quàm fugax adolescẽtia? quàm præceps iuuetã? quàm morbosa, & quãtis quassata laboribus senectã? Quid? quòd miserabiles casus hominem circumstant,

circunstant, ruina, venena, naufragia, bella, terræmotus, lapsus, fulminum afflatus, pestilentia, & quid non? Alius tantulo acini vinacei grano præfocatus est. Alius epoto cum lacte pilo strâgulatus, neq; defuit cui stiria gelu durata delapsa tecto subitum attulerit exitium. Est, quem bestiolæ venenatæ morsus repenti infecerit, quem apes in fixo aculeo interemerit, quem vulnus in corpore, quod acu punctum videtur, quasi gladiatoris ictus esset, intra paucas horas interfecerit. Quæ humanæ vitæ incommoda sic Ambraciota ille Cleombrotus formidabat, ut cum nihil ei accidisset aduersi, è muro se in mare præcipitem dederit, lecto Platonis libro de animarum æternitate, in quo etiam mortalium ærumnas & infortunia diuinus philosophus viuis imaginibus natiuisq; coloribus depingebat. Quare vox illa Sileni ab omni hominû genere quotidianis sermonibus & congressibus celebratur, non nasci

## Exercitationes

longè optimum, nec in hos vitæ scopu-  
 los incidere, proximum autem, si na-  
 tus sis, quam primùm mori, & tanquã  
 ex incendio effugere violentiam for-  
 tunæ. Vtilis ergo hominibꝫ mors, cùm  
 eos è tot malorum fluctibus & tempe-  
 statibus eripiat, ita vt quò propiùs ad  
 mortem accedant, quasi terram vide-  
 re videantur, aliquandoq; in portum  
 ex longa nauigatione esse venturi.

### Aposibili siue necessario.

**C**Vm ergo homo ex elementis con-  
 trarijs, & inter se sine vlla certami-  
 nis intermissione pugnantibus confla-  
 tus sit, necesse est tandem illi mortem  
 contingere, quæ sit laborum omniũ  
 & miseriarum extremum. Quod ne-  
 cessarium est, & diuinis præscriptis ac  
 legibus statutum, vt malum accusare,  
 hominis est, qui sit omni rationis &  
 intelligentiæ præsidio destitutus, &  
 naturæ communis prorsus ignarus.

Præ



Præsertim cùm homo huiusmodi terribilia facilè possit tolerare, in miseriam natus sempiternam.

## Contradictio.

**A**T malum mors est, cùm eius aduëtu hebescant sensus, præmoriatur visus, auditus, incessus, détes etiam ac ciborum instrumenta.

## Solutio.

**I**Mò hac eâdem ratione bona est, cùm peccatorum omnium occasiones & incitamenta de medio tollat, sunt enim exteriores sensus veluti quædã animorum fenestræ, per quas iracundiæ, doloris, inuidiæ, libidinis, ebrietatis, avaritiæ, illiberalitatis, cupiditatû deniq; omnium à regula rationis aberrantium ingreditur materia. Nullus ho-

## Exercitationes

nestis familijs aut adulterij aut stupri  
labem intulisset, nisi oculi ad res visas  
statim exardescerent. Nullus alienum  
honorẽ incesto ore polluisset, nisi pur-  
gatis & sitientibus auribus obtrectan-  
tium hominum susurros & admurmu-  
rationes imbibisset. Nullus ad floren-  
tes aliorum fortunas suppilandas ani-  
mum adiecisset, nisi manus præsto ef-  
sent, quibus ad furtum faciendum, cu  
appositissimis instrumentis vteretur.  
Nullus nocturnis & diurnis comessa-  
tionibus sese dederet, nisi rerum suavis-  
simarum odoribus & gustatu percelleretur.  
Cùm ergo has omnes vitiorum  
radices euellat mors, non negabis, nisi  
planè fatuitatem quandã præ te feras,  
bonam esse. Quòd si ad eam rem Deo-  
rum testimonia & iudicia gentium re-  
quiris, ea accipito. Trophonius & A-  
gamedes cùm Apollini Delphis tem-  
plum exædificassent, deum debito cul-  
tu & obseruantia venerantes, non exi-  
guam quidẽ sui operis & laboris mer-  
cedem

cedem petierunt, nihil certi, sed quod homini optimum esse videretur. Quibus Apollo se id daturum ostēdit post eius diei diē tertiū, qui vt illuxit, mortui reperti sunt. Iudicauisse Deum dicunt, & eum quidem, cui reliqui dii concessissent, vt præter ceteros diuina ret, mortem esse optimum homini, vt quæ periculorum omnium & egritudinum finis esset & meta. Præterea Cleobis & Biton Cydippes Iunonis sacerdotis filij, cū necesse esset matrem ad solenne statumq; Iunonis sacrificiū ex oppido proficisci, & iumenta morarētur, perunctis oleo corporibus, iugum ipsimet subierunt, matremq; in Deæ fanum perduxerunt. Cū igitur fuisset in templum ingressa, precata dicitur à dea, vt illis pro singulari pietate præmium daret, quod maximū à deo mortalibus dari posset. Fertur post epulatos cum matre adolescentes, se somno & quieti dedisse, manè inuentos esse mortuos.



## Exercitationes

Quasi nihil esset melius aut præstātius, quàm in medijs vitæ laboribus obdormiscere, & ita conuiuentes somno consopiri sempiterno. Hoc idem senserunt Thraces, quibus mos erat in lucem editos lachrymis prosequi, mortuos conuiujs & tripudijs. Præterea Herodotus quinto historiæ suæ narrat Traufos gentem esse Thracibus finitimam, quæ cætera quidem cum Thracum moribus concordet, vnum illud habeat peculiare, quòd edito infante propinqui circumsedentes cum ploratu commemorent, quantum calamitatum illi sit perferendum, vitam ingresso. Contrà defunctum hominem cum lusu lætitiæque efferant, recensentes quàm multis malis subductus sit.

## Contradictio.

Sed dices, plurimum mali in morte delitescere, quia nos omni genere voluptatum priuat.

Solu-

## Solutio.

**E**Stò, verùm has terrenas voluptates quæq; vix ad momentum tēporis durant, cælestibus & nunquam interituris commutat, & hominibus de terra sublatis omnes ad cælum aditus & introitus patentes facit: vbi nulla est animorum conturbatio, nulla rerum confusio, nulla tristitiæ aut ægritudinis materia, nulla discordiarum aut factionum seminaria, nulla ad odium & malevolentiam incitamenta. Vbi nulla mortis trepidatio, nullus metus corruptionis, nulla bellorum ciuiliũ flamma, nulla acceptæ iniuriæ vindictio, nulla de perdenda felicitate sollicitudo. Vbi nulla mendaciorũ seges, nulla fidei labefactio, nullæ mercatorum versuræ, nullæ negotiantium hominum fraudes, nulla ex vitijs ad animos pfecta deprauatio. Vbi nullus noctis nigror, nulla caliginosi aëris obscuritas, nullus

## Exercitationes.

rerum deformium aspectus, nullæ horrorem incutientes procellæ, nullæ ciuium tumultuantium cædes. Vbi nullus de aliena beatitudine dolor, nulla in alterius perniciem coniuratio, nulla perditorum ad rerum publicarum euersionem communicata cõsilia, nulla sodaliũ infectio aut corruptela, nullus deniq; alius cibus, quàm anteceditium & sequentium angelorum agminibus stipari, & deum præsentem oculis intueri.

## Conclusio.

**N**ON est ergo malum mors, sed bonum potius, cum nos è custodia & vinculis quibus corpori illigati sum⁹ emittat, vt in æternam illam domum, ex qua prima nascētis vitæ nostræ principia ducta sunt, remigremus, & vt omni dolorum sensu molestiaq; careamus.



# Decimum progymnasma rheticum.

## De legislatione.



Egislatio, quam alij promulgationem legis appellant, locum etiam habet inter rhetorica præexercitamenta, verum vires, quam cætera, maiores desiderat, cum in lege aut suadenda aut dissuadenda, grandioribus depugnare debeat la certis orator. Quæ quidem suasorijs, an controuersijs magis accommodata sit exercitatio, ex consuetudine & iure ciuitatum pendet: nam apud Græcos legum lator ad iudicem vocabatur, vt coram eo de illarum promulgatione litigaret, Romanis pro cõcione suadere ac dissuadere moris fuit. Differt à Thesi, nam legis latio personam affert, sed incertam, neq; omnibus notã,

S s      cùm

cùm lex præsertim ciuilis ab aliquo fá-  
cita necessariò fuerit, Thesis verò nul-  
lius personæ figurã præ se fert. Est au-  
tem lex, autore Cicerone libro primo  
de legibus, ratio summa insita à natu-  
ra, quæ iubet ea, quæ facienda sunt, pro-  
hibetq; contraria.

### Legislationis tractatio.

**E**st autè duplex legis tractatio, aut  
enim positam in medio legem con-  
firmamus, aut eandem refellimus. Cõ-  
stat legis cõfirmatio primùm exordio,  
in quo ad fidem reliquo sermoni faciè-  
dam, dices iam debuisse olim fuisse la-  
tam legem, cùm ex ea tantum vtilita-  
tis in vulgus emanauerit, aut abrogatã  
(si abrogatam cupis) ne illa accidissèt,  
quæ nunc profusis lachrymis vniuer-  
sa ciuitas deplorat. Exordio subijcies  
contrarium, deinde vtêris capitibus  
illis ad roborandum exordium, legi-

timo, iusto, utili, possibili, postremo incidentia dilues obiecta, & conclusiunculam appones.

**Exemplum confirmationis** legis sumptuariæ, qua vnicuique sumptus iuxta rationem census præscribatur. De qua Gellius lib. 2. ca. 24. Macrobius etiam libro tertio capite .17.

**Exordium à legislatoris encomio.**



Vis quis legem hanc sumptuariam promulgavit, siue ille Orchius, Fanius, Didius, siue Licinius fuerit, communi gentium omnium voce & præconio commendari debet, cum publici  
magis



## Exercitationes.

magis commodi, quàm priuatę glorię studio aut cupiditate ductus, eam legē tulerit, quę non tantum conuiuiarum numero, magnificis & nimio luxu apparatus conuiujs, sed epulis etiam apponendis in mensa modum statueret, ne diuites in amplis heluarentur patrimonijs, & re omni gentilitia ab impurissimis gurgitibus deuorata, reipublicę sanguinem absorberent, & pauperes in alienas inuolarent fortunas, vt ad hastã profusas impēsas pecunia sup peteret. Atq; vtinam hæc lex ante id temporis condita fuisset, ex qua tantum lucri & utilitatis cunctis imperijs & nationibus accreuit.

## Contrarium.

**Q**uæ si vllis vnquam seculis aut temporibus fuisset antiquata, plurimum de reliquis legibus dignitatis detractum atq; imminutum fuisset, quæ volunt vniuersos ciues intra officij, tem-

temperantiæ, & frugalitatis spatia cōtineri, honestam viuendirationem cōseruare, studia virtutis semper excolere, neq; plus pecunię aut in domesticos vsus, aut in epulares amicorum ac cubationes impendere, quàm ratio census patiatur.

### A legitimo.

**Q**uod si reliquę leges quę reipublicę statum incolumem tuentur, ciuiũ furori & iracundię frenos iniiciũt, bonos ad virtutis studium propositis premijs adhortantur, cōtrà malos ab omni scelerum turpitudine suppliciorum seueritate deterrent, sanctè & religiosè conseruantur, hæc profectò maiore religione & sanctitate colēda est, quę gulę peccatorum omnium altrici certos terminos præscribit, ne delicatis cibus & mollibus pasta voluptatibus, ultra mensuram census progrediatur.

A iusto

## A iusto.

Livii De  
 cadis. 4.  
 lib. 4.

**O**ppiam legem, quam tulit Marcus Oppius tribunus plebis, ne mulieres superfluo vterentur ornatu, ne uel pilentis & rhedis pensilibus ueherentur, vniuersus ordo senatorius non tam patientibus quam libentibus animis suscepit, quod superbiam, fastidium, & arrogantiam de medio tolleret: quanto iustius est eam admitti, quæ ad sobrietatem homines inducit, in qua totius honestatis decora & ornamenta constituta sunt.

## Ab utili.

**I**n est autem in hac lege tantum utilitatis, quantum prolixa etiam oratione exercitatus orator exprimere non possit. Quid enim fructuosius aut ex maiore usu suaderi hominibus potest, quam ut pro modo facultatum sumptus



ptus faciant? ne si largiores esse velint, quam res patiatur, cogantur per iniuriam ab alijs auferre, quod aliorum palatis, & indomitis cupiditatibus elargiantur. Quid quòd nostris auribus saluberrima instillat præcepta, vt scilicet ebrietatem fugiamus, frugalitatem sectemur, quæ iubet, tantum cibi & potionis adhibendum esse, vt reficiantur vires, non opprimantur. Accedit, quòd mens tanta ciborum & epularum diuersitate obruta, nihil altum aut sublime cogitare potest, quod valeat memoriam nostri ab omni mortalitatis iniuria vindicare. Quod Protogenes nobilis ille pictor, & priscorum annalibus de penicilli subtilitate celebratus aperte satis indicauit, qui, cum Ialysum, hoc est, Bacchum, qui est Romæ dicatus, in templo pacis, pingere, madidis lupinis vixisse traditur, quoniam simul famem & sitim sustinerent, ne nimia dulcedine sensus obstrue

*Pli. li. 35.  
cap. 10.*

## Exercitationes

obstruerentur. Cui picturæ quater colorem induxit, vt decedente superiore, inferior succederet, ne vlla vetustate temporis periret.

## A possibili.

**I**am verò quis non videat omni laudis amplitudine ornãdam esse legẽ? cum rem iubeat non duram, non molestam, non negotiosam, sed quæ facillè ab hominibus opere præstari possit, & cum multa suauitate compleri. Quis enim tam est à mente rationeque deductus, quis tam perditus ac profusus in suo patrimonio nepos, qui non valeat hac in parte suis prauis affectibus temperare? præsertim cum intelligat stultum esse in heluonum edacitate sustentãda patrias & auitas fortunas decoquere, quæ multo sudore & sanguine confliterunt.

## Contradictio.

Dices

**D**ices, integrum debere esse cuiq;  
suo censu vti pro arbitrato, & ini-  
quum videri, si quis in re propria in-  
tra certas sepiatur lineas, quas præter  
gredi sine supplicio non possit.

## Solutio.

**I**Mò nihil est cum naturæ & equitatis  
legibus coniunctum magis, quàm si  
quis cogatur superuacaneis sumptibus  
abiectis, sobriè & frugaliter viuere, &  
omni rerum luxurie procul amãdata,  
ad temperantiæ regulã vitam institue-  
re: quam qui sunt modis omnibus con-  
fectati, suis cupiditatibus imperare di-  
dicerunt, & seipsos ad egregia facino-  
ra perpetranda compararunt. Porus In-  
dorum rex cum robore animi excelsi  
atq; inuicti, magnitudine rerum gesta-  
rum, cæteris sui temporis præstaret, so-  
la aqua & pane corpus sustinebat, ne  
si genium indulgenter curaret, & plus  
æquo computationibus sese dederet,

T mollis,



## Exercitationes

mollis, solutus, & effœminatus efficeretur. Masinissa iam nonagenarius sine pulmento vitam traducebat. Mithridates in senili constitutus ætate, sese aperto capite, ac nudis pedibus in venationibus exercebat, neq; sedens sed stans vesci epulis appositis consuevit. Augustus sapissimè prandentibus iam conuictoribus ad mensam veniebat, & primus eis relictis è lecto surgere solitus est. Lacedæmoni, ex Lycurgi legibus nullam abstinentia potiozem habuere disciplinam, apud quos, vt autor est Athenæus, ille mos inueterauit, vt Ephori nudata iuuenū corpora dies aliquot diligenter inspicerent, & si quid in eis pingue aut crassum deprehēdissent, quod ad gymnica certamina impedimento esse posset, victus abstinentia aut exercitatione castigarent. Idem Athenæus scriptum reliquit, Dionysium Heracleotam tyrannum vastam obesi corporis crassitudinem, partim sobrietate, partim crudis appo-

fitis

Li. 2.  
cap. 28.

fitis noctu lateribus humorem paulatim dum quiesceret exhaurientibus emendare solitum. Vnde verbum illud iam olim in vulgus emanavit, hominem frugi, moderatum, & temperantem, omnino rectè facere.

### Conclusio.

**Q**Vare non est, quòd in re tam clara, & omnibus comperta confirmanda pluribus vtamur argumentis, cùm illud pro confesso omnibus habeatur, sumptuariam legem dignam esse, vt à cunctis siue obscuræ siue splendidæ fortunæ hominibus approbetur, vt quæ omnem luxuriæ & libidinis materiam expellat, contrà sit omnis pudicitia atq; modestiæ conseruatricis.

Exemplum refutationis legis duodecim tabularum, quæ iubebat corpus disseccari eius, qui multa creditoribus deberet, nec esset soluendo, ut singuli singulas partes corporis auferrent. De qua Gellius lib. 20. cap. 1.

Exordium à legislatoris vituperatione.



Visquis ille fuit, qui hanc legem de laniandis debitorum corporibus tulit, dignus profecto est, ut ipse etiam à cunctis mortalibus laceretur, cum inauditæ crudelitatis exemplum in publico proposuerit, & autor extiterit, ut omnis humanitatis ratio ex hominum mentibus aboleatur, cuius hortatu solent ad alienas miseras & calamitates ingemiscere. Atque utinam hæc lex nunquam fuisset tabulis æneis gran



grandiorib<sup>9</sup> literis incisa, aut publicis columnis & postibus affixa, ex qua homines coeperunt ferinam naturam induere, & ex māsuetudine & clementia ad s̄uitiam quandam & ferocitatem traduci.

### Contrarium.

**Q**Vam verò sit detestabilis hæc lex & diris omnibus deuouēda, ex contrarijs legibus facilè deprehēdi potest, quæ iubent, vt in sceleribus debito supplicio & animaduersione puniendis, aliquod humanitatis specimen eluceat, qua nulla virtus ad humanam societatem retinendam præstantior aut laudabilior excogitari potuit. Nam sublata de medio misericordia, quæ occurrere solet supplicibus, nullius oratione aut precibus, nullis præmiorum mercedibus euocata, mundus diutius constare non posset, sed ad interitum & ruinam præcipiti impetu raperetur.

Exercitationes.

Ab illegitimo.

**Q**uid legum maiestati magis aduer-  
seturnon video,quàm vt quis pro-  
pter vilem & sordidam pecuniolam,  
propter æs alienū contractū, in minu-  
tissimas distrahatur partes, & singulæ  
singulis creditoribus cōcedātur, vt ea-  
rū aspectu oculos pascere, rabiemque  
conceptam exaturare possint? Vetant  
hoc iura tum diuina, tum humana,  
prohibent gentium decreta consen-  
tientibus animis & voluntatibus san-  
cita: quæ licet hoc vnum expetant,  
vt hi qui seipfos foedissimis libidini-  
bus constringendos dediderunt, meri-  
tas poenas persoluant, ita tamen vt ab  
his omnis absit crudelitatis suspicio.  
Et quid, quæso, videri potest effe-  
ratius, quid ab hominis bene insti-  
tuti ingenio alienius, quid barbaris  
moribus magis congruum, quàm in-  
opis debitoris membra & artus cru-  
delif

delissimo laniatu dissècari?

### Ab iniusto.

**N**ihil potuit ab hominibus ad totam iustitiæ rationem violandam excogitari peruersius, nihil atrocius, nihil tetrum magis, nefarium, tyrannicum, sacrilegum. Est enim illa iustitiæ lex, neque in postremis habenda, vt pœna susceptis facinoribus respondeat; & vt in castigando modus adsit, quem si prætergrediare, totam iuris disciplinam peruertisse, & cum summo scelere contaminasse iudicaris. Et quod tantum peccatum est, pecuniam alicui debitam ad tempus non persolvere, vt similis debitio tanta ac tam inusitata diritate tormentorum excarnificari debeat? Excogitarunt olim tyranni varia ac diuersa suppliciorum genera, tauros, cruces, vncos, rotas, culcos, scalas



## Exercitationes

Gemonias, fustuaria, secures, quibus aut qui parentem aut alium quempiã hominem interfecissent, aut qui suum ducem & præsidium deseruissent, aut qui foedis conditionibus cum hoste pacem fecissent, aut qui suis dominis fuissent mortem & exitiũ per insidias machinati, aut qui deorum sacra, solenes statasq; cęrimonias profanassent, aut qui se ipsos vilissima fecissent cupiditã mancipia, ab immanissimis carnificibus crudeliter & atrociter puniebantur, verũ nullus vnquam fuit tam inhumanus, nullus tam iniustus scelerũ æstimator, qui culpam tam leuem tanta seueritate supplicij animaduertendã esse putauerit.

### Ab inutili.

**I**am verò quantum detrimẽti ex huiusmodi lege rebus communibus importetur, quis dicendo persequi possit? Nam primũ homines ad seuitiam et  
feri-

feritatem instituuntur, vt nihil scilicet in desiderijs magis habeant, quàm sibi proximos & familiares, cum quibus vitæ & necessitudinis communione coniuncti erant, membratim discerpere, & se ipsos laniorum more, eorum sanguine respergere. Cùm tamen leo in leonem, lupus in lupum, tygris in tygridem similem in modum sæuire nõ soleat. Quid? quòd humana omnia cessarent commercia, cùm nullus auderet creditas sibi accipere pecunias, ne si casu aliquo, aut aduerso fortunæ flatu disperderentur, tantam carnificinã subire cogeretur? Accedit superiorib⁹ ille calculus, neq; inter postremos cõputandus, quòd vita inter Scyllam & Charibdem, inter lubrica & scopulosa loca perpetuò versaretur, cum vbi que non homines, sed crudelissimi Nerones, Dionysij, Phalarides, Busyrides, Aristagoræ, Hierones, & his similes occurrerent, qui passim ad mortaliū sanguinem profundendum vo-

Exercitationes.

ris omnibus inhiarent.

A difficili.

**P**ROBAT etiam illud huius legis mali-  
 tiã, & peruerfitatẽ, quòd plurimũ ha-  
 beat intrase difficultatis, neq; eã exequi  
 quisquã possit, nisi planè ferreus sit, &  
 ad omnem alieni doloris & periculo-  
 rũ sensum obduruerit. Est enim illa nõ  
 scripta, sed nostris animis innata lex,  
 ad quã non docti sed facti, nõ instituti  
 sed imbuti sumus, quã nõ didicimus, ac  
 cepim⁹, legim⁹, verũm ex natura ipsa  
 arripim⁹, hausimus, expressimus, vt  
 præsentibus aliorum discriminibus ve-  
 hementer commoueamur, neque pos-  
 simus erumpetẽ ex oculis lachryma-  
 rum vim sæpissimè continere.

Contradictio.

At,

*Contra hunc int.*



**A**T, inquires, maiores nostri fidem sanctā & inuiolatam in mutua pręfertim pecunia esse voluerunt.

### Solutio.

**B**ene sanè, verùm fidei violatio, quę plerũque non à nimia rerũ luxuria sed ab aliqua incidentis casus, aut aduersantis fortunę iactatione proficiscitur, non deberet tam multo sanguine & membrorum laceratione miseris debitoribus constare: præcipuè cùm homines ea ratione homines censeantur, quòd nihil humani à se alienum esse putent, & nulla eos virtus magis claros admirabilesq; faciat, quàm humanitas, quę nos veluti subditis stimulis impellit, vt eos etiam, quos nunquam vidimus, diligamus, si illos ad lenitatem & mansuetudinẽ propensos esse sentiamus. Celebratur omnibus veterum scriptis Darius Persarũ rex, cui cùm Histici Milesij caput, quem

capi-

## Exercitationes.

capitalissimi hostis habuerat loco, allatum esset, nulla id contumelia aut dedecore affecit, sed statim lauari, & honorificè sepeliri iussit. Commendatur Augustus, qui cùm gladium vidisset, quo se ipsum Antonius interemerat, in secretiores palatij partes secessit lachrymisq; acceptum ex eius morte dolorem expressit, atq; regio honore & pompa ipsum Cleopatramq; eodem conditumulo imperauit. Quid de Tito Vespasiano dicam, qui cùm patris Titi clementiam & placabilitatē imitaretur, ad eò se ipsum omnibus amandum & suspiciendū exhibuit, vt propter hanc solam virtutem, totius populi Romani iudicio, humani generis deliciae appellaretur? Quid Cæsar nonne ad caput Pompeij, quod hastæ infixū viderat, illachrymatus est? His & huiusmodi exemplis monemur, quàm iniusta fuerit lex de diuidendis debitorū corporibus, cùm omnes humanitatis & misericordiæ leges incestauerit.

Con

## Conclusio.

**F**Accessat igitur lex, & publico omnium  
cōsulto repudietur, qua nulla capita  
lior pestis ad efferādos hominū animos  
ad effringēda equi et honesti repagula  
ad subitā rerū publicarū ruinā & euer-  
sionē, fingi aut excogitari potuit.

Hæc habuimus, quæ de Rhetoricis  
Progymnasmatibus diceremus: in quibus  
si lector quicquā, quod eloquentissimo-  
rū hominū auribus aut oculis dignū es-  
se iudicet, deprehēderit, Deo Optimo  
Maximo, rerūque omnium effectori im-  
mortales agat gratias, à quo ceu à perē-  
ni quodā bonorū omnium fonte, cuncta  
nostra manavit disputatio, sin minus,  
ea nobis ipsis attribuat culpa, qui gra-  
uoribus alijs studijs implicati, susceptā  
materiā limatiori expēdere iudicio nō  
potuimus, aut maioribus eloquentiæ opi-  
bus & ornamentis locupletare.

Laus Deo.



Ob. de su demonrazo. costo doo.  
Reales y m

Algo. don diego pimentel vmo  
q no temia otro mayor mmesa. desu  
conq puecia seruir dnm. ansq d'vto  
esta sup dnm. mande qd sup  
mande qd granero sup. qd d'vto

EXCVSVM A

pub Ioannem à Villa

noua. 1569.

sup p. d'vto en n' d'vto. en el p. l' q' hara d'o.  
diego de p'vto. v' d'vto d'vto q' en aquella d'  
v' d'vto p'vto d'vto



D  
R  
Nac.

